


1726.

1. Berious, Dr. Facetus: Animadversiones physico-medical
2. Pardes, Antonius: Impres legale
3. Camerarius, Georg Christophorus: De alienacione bonorum, comprius equestrem et manus mortuas per statum factum probabilitate.
4. Divitius, Georges Frédéric et Pardes, Antonius: De ordine quorundam cretorum peculiari in curia.
5. Illirod, Jo. David: De pulvinis ritibus sacris veterum Romanorum.
6. Fichtnerus, Joh. Georgius: Perifares suspendantur, megai suspentur, vel in cornu pinnatur hinc marsupis secundantur
7. Fichtnerus, Joh. Georg: Do. co., quod justum est circa clavis et claustra.

8.



DISSE^TATIONEM IN AVGVRALEM IVRIDICAM
DE C. 13. num. 13.

17263
ALIENATIONE BONORVM, CVM PRIMIS EQVESTRIVM,

AD MANVS MORTVAS

PER STATUTVM PROHIBITA
IVNCTIS QVAESTIONIBVS PRACTICIS
EX HAC MATERIA ILLVSTRI PRO-
MANANTIBVS

SOLO DEO PRAESIDE

EX DECRETO ET AVCTORITATE

INCLVTI ICTORVM ORDINIS

IN CELEBERRIMA VNIVERSITATE ALTORFINA

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQ. IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI
SOLENNI ERVDITORVM DISQVISITIONI

SUBMITTET

AVCTOR

GEORG. CHRISTOPHORVS CRAMERVS
SVEVOVRTHO-FRANCVS.

AD D. VI. SEPTEMBR. A. R. S. MDCCXXVI.

TIPIIS IOD. GVIL. KOHLESI ACAD.



CAESARIS
ACCIPIAT
CAESAR
QVAE SVNT SVA
PRAESVL
CLERVS
STATVS
CIVES } MEMBRA IMPERII.



Q. F. F. Q. S.

DE
ALIENATIONE AD MANVS MORTVAS,
EIVSQVE VERO VSV ET EFFECTV.

CAP. I.

De diversa vocis **MANVS MORTVAE** significatione et genuina interpretatione , dum 1.) ippos homines servilis conditionis , nec plenarii dominii capaces denotat , thes. 1. -- 4. vel 2.) eorum bona post mortem Domino relinquenda , thes. 4. & 5. vel 3.) quomodo significatio illa Ecclesiis, monasteriis aliquique collegiis piis propria sit , thes. 6. -- 8. in thesi 9. autem quaestio : An , & quatenus alienatio ad manus mortuas procedat ? tractatur , ubi ostensum , & justi & prudentiae regulis prohibitionem esse conformem .

I.

Vum de *Alienatione ad MANVS MORTVAS* disquisitionem instituendi mihi animus sit , operae pretium fore ratus sum , melioris intellectus gratia in genuinam terminorum significationem quodammodo indagare , & pro instituti ratione , ob discrepantes Scriptorum de hac materia , easque non uno hinc inde errore repletas , quandoque etiam absurditatem redolentes opiniones , pauca quaedam praefari .

A 2

II.

II.

Neque hic multa de simplici terminorum notione verba facere opus erit, quum per vocem **MANVS** modo partem corporis, qua apprehendimus, §. 4. *I. de Test.* L. 10. π. qui *testam. fac. poss.* L. 17. *C. de poenis.* Nov. 30. c. 8. modo scripturam & omne, quod manu perficitur, L. 5. §. 10. π. *de N. O.* N. modo potestatem, *pr. I. de Libertin.* modo denique insignem hominum multitudinem, turbam, sphalangem militum, aut totum exercitum indigitari, inter omnes luculenter constet. Appellatione autem **MORTVI**, vel α.) **REM NATURALITER** extintam, sive humanis rebus penitus exemptam, L. 15. *de contr. emt.* L. 21. *de petit. hered.* ut amplius non extet in rerum natura, L. 13. §. 1. 2. *de V. S.* aut sublata & amissa forma sua essentiali peremptam, L. 9. §. 3. *ad exhib.* L. 23. & 82. *de V. O.* ex causa naturali, L. 23. π. *de R. I.* aut factio hominis, L. 15. π. *Locat.* aut **CIVILITER**, i. e. forma sua essentiali mutata, nec priori specie retenta, L. 5. §. 1. π. *de R. V.* §. 25. *I. de R. D.* aut quae in priori sua substantia durans in commercio esse desit, L. 83. §. 5. π. *de V. O.* L. 22. 23. 70. π. *de contr. emt.* L. 182. *de R. J.* vel β.) **PERSONAM**, sive naturalem, sive civilem mortem subeuntem, L. 4. qui *satisd. cog.* L. 1. §. f. *de B. P. contr. tabb.* L. 63. §. 10. *pro soc.* (quae ad analogiam mortis spiritualis mors viva audit) v. g. exheredatos in certis causis, L. 1. §. 5. π. *de conjung. cum emanc. lib.* item medium & infimam capitis deminutionem passos, §. 2. *I. de usufri.* L. 32. π. *de R. J.* & L. 209. π. *eod.* L. 3. §. ult. & L. 4. π. *de cap. minut.* aliosque infimae plebis aut servilis conditionis homines, dominii pleni vel liberae circa illud dispositionis incapaces, nec in Republ. momentum facientes, subque his novissime tandem & monachum, forte qui a communi

muni hominum consuetudine exclusus, mortuus civiliter dicitur in *L. fin. C. de Episc. & Cler. Nov. 22. c. 5. in fin. appellatione MORTVI*, inquam, saepius venire, juris & litteraturae peritum neminem fugere potest.

III.

Terminus compositus diversimodo apud rerum Germanic. Scriptores usu venit. Quandoquidem **MANVS MORTVA** interdum 1.) **IPSOS HOMINES** spectat, quos manus mortuae vulgo dicunt, conf. du Fresne *Glossar. voc. manus mortua.* Schottel. *Tract. von unterschiedlichen Rechten in Deutschland / c. 2. §. 17. p. m. 53. seqq.* Addi merentur, quae Chassanaeus ad Consuetud. Burgund. *Rubr. IX. des mains mortes*, commentatus est. Ibi enim dantur homines, qui dicuntur manus mortuae, & sunt servi ratione possessionum, & dimittendo possessionem efficiuntur liberi: Nominantur *les hommes de main morte*, it. *gens de condition main mortable* &c. quicquid acquirunt, hoc acquirunt Domino etiam extra territorium; si renunciare velint bono sive manso, simul etiam renuncient bonis mobilibus, quae habent sub Domino in loco manus mortuae &c. Ipsis videlicet quasi manus ligata & mortua erat, praefertim cum ejusmodi servilis conditionis homo in statu civili fere pro mortuo haberetur, nec liber praeterea rerum suarum moderator & arbiter existeret, hancque servitutem ad res certas adstrictam imperfectis accenset H. Grot. *de J. B. & P. L. II. c. V. §. 30.* Servorum quippe in Germania, praeprimis illorum, qui mancipia privatorum dicti, miseram olim conditionem fuisse testatur Lehmann. *Chron. Spir. L. II. c. 20.* quem tamen servorum in Germ. originem perperam ad Clodovaei & Caroli M. tempora restringere, doctissime ostendit Excell. Dom. Consil. Langgut. *in Animadu. ad Prud.*

A 3.

Prud.

6 CAP. I. DE ALIENATIONE AD MANVS MORTVAS,

Prud. Juris Publ. Coccej. C. 9. §. 11. seqq. ubi insignem insuper Cocceji errorem , quin pene communem , atro adnotans carbone , male nimirum ab ipso servos nobiles in sexto clypeo Feudali & militari locum suum quondam habentes , dictosque des Reichs Dienstmannen / qui incirca Sec. IX. usque ad Sec. XIV. parili modo cum praediis suis alienari poterant, & haud raro sub certo canone singulis annis praestando a Dominis manumissos , confundi cum Nobilibus immediatis in Vto clypeo extantibus , semperque ad praesentia usque tempora liberis , atque hodienum eadem libertate & superioritate territoriali in suis districtibus , qua reliqui Imperii Status in suis territoriis pollent , gaudentibus , *ad cap. 15. Sect. III. & cap. 21.* solidissimis evincit argumentis. (a) Quae jura Nobilitatis immediatae territorialia in erudito scripto itidem ab Auctore anonymo A. 1724. publicato , sub rubr. Rechtl. Deduction und Erörterung der Frage: Ob das jus affigendi literas patentes der Centh- und Fraisch- / oder der Vogthen- und Territorial-Herr sich zuzueignen habe ? ex jure communi , LL. Imperii fundamentalibus , Mandatis specialibus Caesareis , & praejudiciis summorum Imperii Tribu-

(a) Doctrinam hanc de Heerschildis , sive septem clypeis nobilibus & feudalibus , non obstante fabula de VII. mundi aetatibus , a compilatoribus speculorum adjecta , (qualis etiam in Aur. Bulla de VII. candelabris & numero mystico deprehenditur , cuique numero puta septenario , virtutes potestatesque multas variasque Veteres adscripsiisse , compluribus iisque non incuriosis exemplis exquisitissime adstruit Aul. Gellius Noct. Attic. Lib. III. cap. X.) se ipsa tamen , quicquid etiam alii recentiores crepat , fundatam esse , prae aliis eximie & nova ratione explanat praelaudatus Dn. Langgut , Consil. Sax. in insigni commentatione de VII. Clypeis , ejusdem animadversione Feudal. in Coccej. Hypoz. Feud. adjecta ,

Tribunalium , ut et opinionibus DD. maxime fundatis , latius insimul defenduntur. De dura autem mancipiorum privatorum conditione Lehmanni verba cit. loco summatis haec sunt : 1.) *perpetuo erant servi , belli feodorumque incapaces , pro lubitu Domini cum omni suppelle- etile & sumtu , buba &c. emi vendique poterant.* 2.) *nec extra conditionem suam & Domini regionem matrimonium inire , invito scil. Domino.* 3.) *certis & statis actionibus detriti , omnia acquirebant Domino , relictis sibi vix necessariis vitae subsidiis.* 4.) *Rex graves genti servorum leges imposuit , ac testamenti factionem , jusque intestatis , praeterquam inter agnatos , succedendi ademit &c.* Sic servis nostris atq; libertis Domini & Patroni succidunt , quam facultatem vulgo Erb-Recht vocant , & sic porro . Vnde altera manus mortuae significatio enascitur.

IV.

Speciat videlicet 2.) interdum PRAEDIA IPSA , & quidem vel res mobiles tantum , vel immobiles , quae testante du Fresne l.c. bona MANVS MORTVAE appellantur , & pro diversitate locorum variant , testari enim talismodi servis non licuisse de rebus manui mortuiae obnoxii ultra V. solidos in praejudicium Domini , saepius quoque manum mortuam ad certam pecuniae quantitatem redactam fuisse , probat ex manumissoria conditione , quae ex bonis decedentis Domino heres praestare tenebatur , quod posterius itidem statuunt Besold. *Thesaur. Pract.* voce : Curmede &c. &c Wehner. *Observat. pract.* voce : *Haupt-Häste / qui insimul docent , foemina proprii hominis defuncta praestari das Weidmahl / v. g. das beste Ried ic. servo vero mortuo , optimum pignus vel jocale in domo repertum a Domino exigi potuisse , quod germnace audit das Buttheil*

8 CAP. I. DE ALIENATIONE AD MANVS MORTVAS,

Buttheil / Haupt - Recht / Churmiede / Besthaupt &c.
add. Beyer *Specim. Jur. Germ. L. I. C. 6. §. 33. seqq.*
Domino enim integrum est, casu contingente eligere
sibi optimum equum, bovem & id genus alia; uti ni-
mirum olim jure Rom. Domini suis succedebant servis;
ita etiamnum servis nostratisbus, s. hominibus propriis,
atque etiam libertis Domini, seu Patroni succedunt.
Quocirca sane errant, quotquot jus illud mortuarium
servitutis duntaxat personalis argumentum esse sibi per-
suasum habent, quandoquidem complures etiam liber-
tos, Lassos seu Latfos, germanice *Lassen* / dictos, quos
nonnulli Interpretes tantum pro servis nequicquam ven-
ditant, ad jus illud, quod vocant, capitale post mortem
Domino praestandum teneri, comprobant Wehner.
aliique supra cit. & quos non multum supra servos esse
Tacitus jam refert *de moribus Germ. cap. 25. al. 26.* Im-
mo vel ipsa praxis quotidiana satis jamjam loquitur,
quod saltem in Suevia, Terra Rhenensi & in patria Fran-
conia, praeprimis in unico pago, *Streiff orff* prope
Coburgum sito, ultra 200. liberti tales oneri huic ob-
noxii, alibique passim deprehendi queant, quos caetera
quippe liberos, minime servos Germanicos i. e. glebae
adscriptos esse, certum est.

V.

Vnde autem revera caduca servorum & liberto-
rum ista hereditas, manus mortua appellata fuerit, haud
temere definiri posse statuit du Frefne *loc. cit.* Lehman-
nus, Besoldus, Wehnerus, l. c. originem inde deducunt,
quod ejusmodi bona primo acquirenti vel ex gratia vel
viliori pretio concessa fuerint, & Dn. Böhmer, jam olim
censum hunc rusticos necessario, & quidem ex domini
impositione, vi dominicae potestatis, quam in servos
eorum-

eorumque bona habuisset, praestitisse autumat *Jur. Eccles. L. II. Tit. V. §. 166.* Horum tamen nullus adhuc veram originem, & cur manus mortua dicatur, expli-
candam fulcepit; Nec immerito du Fresne Autoris M.
Chron. Belg. rationem & originem vocis hujus in du-
biu[m] vocat loc cit. ideo manum mortuam dictam asseren-
tis: quod, si a servo tali patrefam. decedente nihil in bonis
relictum, tunc defuncti dextra manus offerretur Domino;
eandem Molanum cumque eo Locrium suspectam fovere
sententiam addit: Dextram manum oblatam in signum,
quod ei amplius non serviret, & idem statuunt Schottel. l.
c. it. Lauterb. in coll. maj. π. Tit. de bon. libert. aliquie ibi al-
legati; Licet quidem interdum unam vel utramque ma-
num ex mente Hertii de hominibus propriis fēct. 3. §. 13.
opusc. Tom. II. amputatam fuisse non negaverim, cum
mutilatio illa corporis apud veteres in signum jurisdictio-
nis non adeo insolenne quid esse potuerit; ideo tamen
persuadere mihi illud nequeo, quia speciem juris caduci,
vix ac ne vix quidem generalem illam de omnibus spe-
ciebus locutionem produxisse probabile est, & multae
alias fabulae in vulgus notae sunt, v. g. de Episcopo Leo-
diensi, qui post apparitionem, si Diis placet, spiritus
rustici cuiusdam, manum suam impio jure truncatam
vindicatur, illud jus penitus abrogasse fertur. Utut
ergo sit, nobis saltem haec derivatio vero videtur per-
quam absimilis, & magis congrua probabilisque ex per-
sona servi libertive desumita ratio, quippe qui ob servi-
lem suum statum post mortem jus illud mortuarium
Domino necessario relinquere coacti, ob denegatam
sibi circa bona sua liberam dispositionem manus mor-
tuas habere dicuntur, unde forte probabilius ipsa quo-
que res illa, post mortem servi ad Dominum cadens,
per diuturnum loquendi usum, manus mortuae deno-
minatio-

10 CAP. I. DE ALIENATIONE AD MANVS MORTVAS,

minationem trahere facile potuit. Accedit praeterea, nostrum argumentum universale esse, atque omnibus casibus magis accommodum, quam quod unice ab absissa petatur manu, ad inducendam veram originem. Ceteroquin de hac manus mortuae specie, quae quidem non hujus loci, plura dicere non attinet, quapropter B. L. ad memoratos haec tenus Auctores remittimus, in primis legendus est de hac materia elegans Tract. B. Dni. Harpprechti *de jure mortuario in bonis defuncti hominis proprii*, ejus Domino competente, cui addi potest Potgieser. *de conditione & statu servorum apud Germ. tam veteri quam novo.* Lib. II. cap. II. per tot. Nobis saltem rei illustrandae gratia haec cum origine velut intranscursu tetigisse sufficiat, accuratiorem hujus discussionem viderint alii, quibus antiquitates alioqui professa opera scrutari placet.

VI.

Major longe Eruditorum dissensus adhuc circa aliam se se exserit quaestionem propriè huc spectantem, uidelicet *Vnde Ecclesia aliaeque universitates manus mortuae nomine insignitae fverint?* Ex Petr. Peckio *de Amortizatione honorum*, cap. 2. sequentia refert Zieglerus *de Jure majestatis*. §. 44. *Ecclesia mortua manus inde vocatur, quod, sicut morientis hominis manus id, quod comprehendit, firmissime conclusum tenet, neque facile remittiit; sic etiam, quicquid Ecclesia s. corpus istiusmodi semel acquirat & in manum, b. e. in potestatem suam accipiat, nonnisi magna cum difficultate & solennitate in commune hominum commercium post deinde remittat.* Porro dicit: *Ecclesia corpus est nunquam moriens, s. possessor immortalis adeo ut quae in ejus manus semel venerint, possessiones & feuda, dominum vix unquam*

quam ac ne vix quidem mutent , nec in Laicorum potestatem redeant . Ad quam posteriorem opinionem prae aliis magis probabilem inclinare quoque videtur Dn. Böhmer, in *Jure Paroch.* p. m. 262. quia Ecclesiae in eodem statu permanent , quasi mortuac , expertes omnis vicissitudinis &c. vel quia nunquam mori dicuntur , sed eadem Ecclesia manet per surrogationem , & proinde bona , quae semel hujusmodi contigerunt , nunquam manus mutant , insuper etiam haec ratio applicari poterit reliquis personis , quae praeter Ecclesias , nomine manus mortuac insigniuntur , ut sunt : Capitula , Collegia , Fratriae , Communitates &c. juxta Tholosan. *Syntagm. Jur. Lib. 6. c. 5. n. 7.* quam derivationem prae aliis optimam neque ego spernere ausim , dummodo pro nostra sequenti contraria sententia non maiores , & forte in propiori , nec eandem , ob diversum vocis manus mortuac ac immortalis sensum contradictionem involvente rei similitudine posita , atque ad omnes casus quadrantes rationes pugnarent , quum denominatio manus mortuac Ecclesis primum ex statu illarum antiquissimo probabiliter superimposita , ob identitatem rationis , non nisi a posteriori & ab effectu quodam desumptae , postea ad alia dicta Collegia serius paulatim tracta fuisse videtur . Confimili ferme modo Edwardus Cockus ad Littletonem , teste du Fresne loc. supr. cit. ejusmodi manum mortuam dictam vult , quia possessio eorum immortalis , ita ut manus pro possessione , mortua vero per antiphrasin pro immortali accipiatur . item ex Cowello p. 477. Mortuam manum esse , quae feudum apprehensum sine omni metu amittiendi , aut feoffatori ex quacunque causa restituendi tenet . Ejusdem farinae est Besoldi ratio ex Klockio desumpta ; scil. Melius dici perveniri ad manus perpetuas , quam ad mortuas , quod Ecclesia nunquam moriatur ; cujus partes sequitur Schotttel. l. c. §. 18. p. m. 54.

VII.

At enim vero jam sponte exinde intelligitur, quam coacta maximam partem, & (pene dixerim) ficalnea sint recensita haec tenus argumenta, ad deducendam manus mortuae Ecclesiae impositae nominationem, in qua explicanda non leviter sudant Interpretes. Ecquid enim absonam illam Cocki antiphrasin in possessione immortali latenter, obtorto quasi collo, pro stabilienda genuina rei significatione admittamus? Quid cum Besoldo &c. &c. rei praeter necessitatem aliud imponamus nomen, quam quod adaequatum, naturae rei conveniens, inque ipsis ejus obtineat argumentis? & cur denique rationes e longinquu petamus, quas cominus statim vide-re, inque tam insigni rei similitudine haud difficulter reperire liceat? Namque validum & adaequatum argumentum rite deductum, in assimilatione quoque manere, nec temere tertium comparationis exceedere oportere, interpretandi regulae jubent. Proinde salva aliorum fortean melius sentientium opinione, magis arridet, ob MAXIMAM CVM SERVIS SIMILITUDINEM, ECCLESIAM, (cujus nomine vulgo clerici soli, at male, apud Pontificios intelliguntur) AVDIRE MANVM MORTVAM. Quam verosimilem sententiam nobiscum itidem du Fresne l. c. apprime statuminare, communem vero contrariam derivationem examen rigidum aegre ac ne aegerri-me quidem sustinere posse brevissimis, haud obscure ta-men innuere videtur. Sicuti enim plurimi servi olim nihil sibi, sed omnia dominis suis acquirebant, neque de rebus suis libere testari poterant, uti etiam nec hodie nostris glebae adscriptis pro diversitate locorum, aut libertis de rebus suis pro lubitu mortis causa disponendi li-cencia datur, ob jus capitale post mortem domino suo prae-stan-

standum, cum dominus ut plurimum electionem habeat, & insuper omnia ipsi maneant, hominibus hisce (quibus in plerisque locis non nisi ad unum suae conditionis bona sua alienare licet, ceu Lehmannus *Chron. Spir.* p. 85. & du Fresne c. l. probant,) sine prole & herede demortuis; Ita & Clerici in veteri Ecclesiae statu, juxta Lehmannum p. 120. Desseilium in *Erotēm. juris Canon.* Duarrenum de libertate Eccles. Schilterum in *Instit. jur. Can.* &c. omnes erant canonici regulares, & a Monachis quidem nomine distincti, re ipsa autem iis in plerisque similes, postea irregulares demum partim facti servorum instar se habebant, servire quippe ad vitae tempus Ecclesiae vel Monasterio ob vota tenebantur, sibi nil, sed omnia Corpori suo Ecclesiastico acquirere, nec de bonis suis s. inter vivos, s. mortis causa libere disponere poterant, immo ipsi Clerici post mortem, ut du Fresne voc. *Mortuaria.* & Schottel. pag. m. 38. §. 5. l. c. memoria prodidere, jus quoque capitale s. mortuarium praestare tenebantur, atque ita omni procul dubio ad modum servorum obque maximam in omnibus pene effectibus cum iis convenientiam *MANVS MORTVA* dicti, cum praesertim in Republ. nullum momentum facientes, quasi pro mortuis haberentur, cuius jam in fin. Th. 2. facta fuerit mentio. Plane ut non adeo dissimiles essent servis Latinis & dediditiis, qui ut liberi quidem vivebant, ut servi autem moriebantur, arg. §. ult. *J. de Assignat. Libertin.* immo tantum abest, ut Clerus Rom. singularem sanctimoniae speciem præ se ferens nomen olim exiguum profiteri, aut status Monachor. minimi fratribus, quo Laici dona certatim iis ingererent, dici non posset, ut potius ipsum Romae caput sanctissimus scil. Papa servum servorum se appellitare non dubitasset, ut patet ex singulis capitibus *Concord. Nat. Germ.* add. Pufendorff.

14. CAP. I. DE ALIENATIONE AD MANVS MORTVAS,
fendorff. introd. ad Histor. cap. 12. de Monarch. Eccles. se-
dis Rom.

VIII.

Objiciat autem quis nobis, cur adeo mutato rerum
statu hodienum Ecclesia manus mortuae nomine veniat?
Sed &c. mutata licet Ecclesiae facie, non tamen ideo stra-
tim veterem cessare appellationem, quandoquidem effe-
ctus pristini sat multi adhuc hodie supersint, nec dum in
desuetudinem abierint. Tametsi enim nostris tempori-
bus Canonici irregulares vel seculares, & alii Clerici,
Presbyteri Diaconive liberam testandi facultatem ha-
beant, nec amplius, ut olim & eu servi Ecclesiae mortua-
rium praestare teneantur; reliquis tamen in hunc usque
diem adhuc manum mortuam, i. e. ligatam, ac potesta-
tem libere de rebus suis disponendi adentam esse, quo-
tidiana praxi corroboratur. Episcopi enim & Praelati,
cessantibus licet veteris prohibitionis rationibus, ob assi-
gnatam hodie cuivis certam portionem, adhuc subjecti
veterum Canonum rigori, nec nisi ex indultu Pontificis
speciali testamentum condunt, propter jus spoliorum
Papae & Camerae Rom, in Praesulum defunctorum cae-
terarumque personarum ecclesiasticarum, bona relicta
ab intestato competens, a tempore Clementis VI. Pau-
li III. et Pauli V. vid. *Bullarium magnum*. Licetque in
praxi, quae autem non universalis est, plerumque capi-
tulationibus obstringantur Episcopi, ut ad minimum
duas tertias bonorum suorum relinquant pauperibus &
Ecclesiae, de reliqua tertia uero libera illis maneat dispo-
sitio, fit tamen id non omnimodo, sed in tantum, &
extra privilegiatam istam singularem locorum obser-
vantiam Episcopi canonibus utique obligati manent.
Deinde jus illud manus mortuae, quod Regalia audit,
alicubi

alicubi v. g. in Gallia hodienum in viridi est observantia,
 ubi Rex *la Regale*, jus confiscandi fructus Ecclesia va-
 cante perceptos & bona defunctorum Ecclesiae Praesu-
 lum, mordicus tuetur, quod olim indubie quoque ex
 dominio feudi directo ac pristino summo facrorum jure,
 & supremo bonorum ecclesiasticorum dominio, Impera-
 toris & Imperiifuisse, exemplo Friderici I. *ex Arnold. Lubec.*
Chron. Slav. Lib. 3. c. 17. probat Coccoe. *in prud. Jur. publ.*
cap. 22. §. 5. ibique consultiss. Dn. Langgut. *in Animadvers.*
 qua de juris manus mortuae specie plura differit Meibo-
 mius *in singulari dissert.* Regulares vero communent
 agunt vitam, communi menia utuntur, & sic fructus
 nullos suos faciunt, per votum etiam paupertatis omni
 proprietati renunciant, adeoque professione facta simul
 amittunt ex doctrina Cleri testamenti factionem, cum
 monachis aequiparati fuerint, quibus testamenti facio
 interdicta est, *c. 2. X. de Testam.* ubi remissio fit ad *Le-*
ges civiles, quando in *Auth. Ingressi. C. de SS. Ecclef.* it.
Nov. 76. & 123. c. 38. Iustiniarius iis expresse testandi fa-
 cultatem admetit, eo quod post ingressum in monasteri-
 um Domini rerum suarum ulterius non existant, sed
 eo ipso se suaque dicent Deo, & monasterio perso-
 nas illorum repraesentanti acquirant. Denique nec Or-
 dines militares ob votum paupertatis, licet hodie sta-
 tus mutatus sit, nonnisi Indultu testandi a Magistro Or-
 dinis impetrato testari valent. Ad ultimum Clerico cui-
 vis sine herede decedenti indistincte succedere Ecclesiam,
 extra omnem disputationis aleam positum est. Quod
 vero ad Episcopos, Canonicos aliosque ministros Eccle-
 siae, nec non Ordines militares, ut & Canonissas & Ab-
 batissas Protestantes attinet, iis nec Papae, nec juris ci-
 vilis constitutio amplius, ob sublatum penitus jus papale
 in terris Protestantium, obstat, quo minus hodie libere
 de

16 CAP. I. DE ALIENATIONE AD MANVS MORTVAS,

de rebus suis testentur, & redditus ecclesiasticos plenissime suos faciant, prout omnia haec latius deduxit illustr. Dn. Boehmer. in *Jur. Eccles. Libr. III. Tit. 25. de Pecul. Cler.* Et haec sat dicta sunt de nativa ferme manus mortuae Ecclesiis aliquis Collegiis hujuscemodi imposita significacione. Vidimus quippe utrumque in anticipi rationum diversarum circumstantia esse pugnans, neque posse ex duobus contrariis, altero manente, alterum constitui : quaestionemque fieri per diversorum inter se finium, mortis scil. & vitae sive plane immortalitatis cohaerentiam, (a) quae omnia sic omnino evitari possunt. Nec

pigeat

(a) Sicque animum non amplius subeat admiratio , Interpretes in eruenda **MANVS MORTVAE** denominatione forte a nobis ideo facere divortium , aut adhuc facturos , quod ita **MANVS MORTVA** non tam proprie sumatur , quam potius **IMPROPRIE**, analogice tamen & Latinius per similitudinem Rhetoricam sc. synecdoche partis pro toto , manu enim plurim negotia hominum expediuntur, dando, donando, tradendo dominium, & sic porro. Verior enim prae aliis derivatio haecce his ex argumentis mihi videtur : 1.) quod in antiquissimis monumentis, it. in jure Rom. in Germania recepto, cum lingua Latina & studiis inde primum maxime petitis , servi, viles personae , nec non Clerici PERSONAE MORTVAE , & **MANVS MORTVAS** seu **LIGATAS** habere dicuntur, ut praec. Th. VII. jam audivimus. 2.) Licitque consuetudo manus detruncande alicubi olim fuerit , tamen praxis illa non universalis & irregulariter tantummodo in casum deficientis mortuarii, solenne quid erat , cum tamen NB. IPSAE PERSONAE adhuc viventes jam **MANVS MORT.** dicerentur , perque usum res ipsa post mortem praestanda ; 3.) Clericis autem eidem mortuario obnoxiiis, eodemque nomine insignitis, manum fuisse amputatam memoriae nusquam proditum legimus. Ex quibus nullo pene negotio ita induci posse & necessario inducendum esse crediderim : quod,

pigeat B. Lectorem, nimis prolix me in eruenda rei consimili & genuina, ut opinor, vocis MANVS MORTVAE indole & derivatione, nimis inquam prolix me cunctatum, quum egregia verba Aul. Gellii Noct. Attic. Libr. ult. cap. fin. impense nobis & ad rem postremo faciant, quando ait : *Non oportet ea defugere, quasi aut cogitatu non utilia, aut perceptu difficultia; non enim fecimus altos nimis & obscuros in his rebus quaestzionum finus, sed pri- enitas quasdam & quasi libamenta ingenuarum artium dedimus : quae Virum civiliter eruditum, neque audisse unquam, neque attigisse, si non inutile, at quidem certe indecorum est.*

IX.

Quaestio nunc decidenda venit, AN ALIENATIO AD MANVS MORTVAS LICITA SIT, id est, an Ecclesia bona Laicorum acquirendi jus habeat? ¶ Affirm. in tan- tum, in quantum sit collegium licitum, & a superiore in Republica permissa, nec prohibita acquisitio. In aprico enim est, ac tristis eventus satis edocuit, quanta calamitas a nimio illo superstitionum pruritu ditescendi Ec- clesiam, ex opinione de bonis operibus meritorii &c. & quanta malorum seges nec dum decocta, ex insequenti Cleri luxuria & intolerabili fastu, in foedum tandem do-

C

mina-

Quod, si homines ipsi pro sua persona manus mortuae di- cuntur, & qui in vivis adhuc sunt, tunc sane a priori aptius & cohaerentius, (i. e. OB MANVS LIGATAS circa liberam rerum dispositionem, & omnigenam cum servis conve- nientiam,) neutiquam vero a posteriori casu excepto, (videlicet ubi Mortuarium plane deest, & manus interdum idque alicubi duntaxat amputata, aut ex contradictoria ratione, quia universitates illae irtuote immortales manus nunquam mutant,) tunc inquam a PRIORI vocem MANVS MORTVAE enatam esse, probabilior sit praesumtio.

minatum, contra praxin primitivae Ecclesiae, contraque Magistri Salvatoris nostri expressum mandatum: *Vos autem non sic, &c.* (a) quin contra ipsos veteres Canones in tot. q. i. sub rubr. utrum liceat Clericis proprium habere, caus. XII. § in can. s. dist. 95. erupto, in rem publ. redundaverit, adeo, ut postea Reges & Principes, quanquam nimis sero sapere discentes, effrenatae huic & Reipubl. pernicioſifimae liberalitati, per leges & inhibitiones publicas obicem atque terminum ponere necesse habuerint, cujusmodi Constitutiones varias referunt Schilter. in *Inst. Jur. Can. L. II. Tit. VI. §. 6.* & Ziegler. de *Jur. Maj.* §. 43. quas inter etiam adhuc referendum Caroli V. Edictum Statibus Brabantiae promulgatum, cuius mentionem facit Stockmannus in *Decis. Brabant.* 4. num. 2. Statutum *patrium* ratione Amortizationis jam de anno 1417. adeoque per integrum seculum ante Reformationem Lutheri publicatum, quoque extat. (b) Quin Status Imperii quoque

(a) Egregia ejusdem tenoris verba habet Mr. l'Abbé Langlet du Fresnoy *Methode pour étudier l' histoire &c.* qui insignis liber nuper per D. Joan. Burch. Menk. Regi Polon. a Consil. & P. P. Lipsiae 1718. germanico idiomate cum notis auctior publicatus fuit, ubi Chap. X. Art. I. §. 3. p. m. 144. ita scribit: *Il faut descendre au XII. siècle, & s'arreter à considérer les contestations de Frederic I. & du Pape Alexandre III. On y verra un Empereur ferme & intrepide à soutenir toute la grandeur de sa dignité temporelle contre un Pape, dont l'obligation principale selon l'Institution divine, n'est pas de commander aux Princes, mais de paître le Troupeau de Jésus-Christ.*

(b) Extract aus einer alten bewehrten und fide publ. continuirten Chronick der Kaiserl. freyen Reichs-Stadt Schweinfurth.
Verboth, denen Geiſtlichen nichts mehr zu verschaffen: Anno 1417. hat E. E. Rath ihren Bürgern öffentlich mandiren lassen, daß keiner weiter geiſtlichen Leuten, Kirchen oder Klöſtern nichts binccheiden folle.

quoque inter 100. gravamina aduersus sedem Rom. anno 1523. ut Clerici ab acquisitione immobilium abstinerent, jam olim serio proposuisse, ex Klockio de *Contribut.* recenset Rhetius in *dissert. de misericord. intempestiv.* c. 5. n. 42. Gravaminum excerpta quaedam sifit Hortlede-rus in *Tr. von Ursachen des Deutschen Kriegs. part. I.* p. 9. C. 1. p. 16. (a) Sic nuper demum d. 18. Septembr. A. Cl^o lcccxx. novum prohibitionis Edictum Viennae pro-diit, cuius tenorem exhibit Autor der *Europäischen Fama*, Part. 272. p. 692. seq. it. Coburg. Zeitunge-Extract de mens. Novembr. 1720. quodque in fine sub *Lit. A.* videre est, ubi per literas prohibitivas in eadem causa jam sub Maximil. I. anno 1518. d. 6. Jan. in forma, ut vocant, patente publicatas, a Ferdinando etiam & Leopoldo, omnibus divae memoriae Augustis, d. 14. Octobr. 1627. & d. 20. Octobr. 1669. repetitas sub poena nullitatis, tandem a praesente S. C. M. Carolo VI. d. 4. Aug. 1716. denuo con-

C 2

firma-

(a) *Der Weltlichen Reichs-Stände Beschwerden, so sie gegen den Stuhl zu Rom, und andern geistlichen Ständen haben, und der Päpstlichen Heyl. Oratorn auf dem Reichs-Tag zu Nürnberg im 1522. Jahr angefangen, und darnach im 23. geendet, übergeben worden sind.*

31. Item der geistliche Stand ist mit Constitution, Satzungen und Ord-nungen vom Stuhl zu Rom versehen, daß er der Kirchen liegende Güter, Bona immobilia genannt, den Leyischen Personen regulari-ter nimmer zu verkauffen, oder zu verändern hat, und trachten doch die Geistlichen ohn alle Noth, durch mancherley unausprech-liche wessentliche und verborgene Weeg ohn Vaterlaß nach der Welt-lichen Güter, dieselben als viel, und wie sie mögen, zu ihnen zu bringen, auch deren biß anhero also viel an sich bracht, daß die Weltlichen noch gar ein geringen Theil, und so wenig mehr haben, daß sie Frieden und Recht im Reich zu erhalten, und den Türcken zu wiederstehen nit vermögen, und ihnen, den Weltlichen Stän-den, (sie wollen dann mit den Geistlichen ganz zu Grunde geben) dermaßen zu gedutten unleidlich ist.

20 CAP. I. DE ALIENATIONE AD MANVS MORTVAS,

firmatas & renovatas, Clero omnia nominanda bona secularia, quocunque praetextu & titulo ab A. 1669. acquisita, intra spatum trimestre iterum vendendi necessitas imposita dicitur. Similiter inhibitio inter Ordinem Equestrem in Franconia conventa, novissime ab Augustissimo Imperatore Carolo VI. revisa, confirmata, ipsique Ordinationi Equestris inserta est, c. 15. de qua infra Cap. III. ipsum statutum vid. in Append. I. sub Lit. B. Neque id adversatur REGVLIS IVSTI, quia salus publica suprema lex esto, justissime ergo Princeps disponit, ad aerarii publ. commodum & sustinendam Reipubl. machinam, jure dominii eminentis, de re supremo suo dominio subiecta, de bonis secularibus eorum, qui jurisdictioni seculari obnoxii vivunt, de objecto tandem tali, quod vi juris sui potest destinare ad perpetuam utilitatem. Reipubl. cuius interest, cives rebus suis non abuti, & bona stabilia manere illibata, sine quorum adminiculo cives conservari, & copiosiora tributa pendi nequeunt. Neque enim, ut Tacitus Libr. 4. Histor. ait, quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi possunt, ac, ut alibi differit, Imperii dissolutio subsequatur, necesse est, si fructus, si nervus rerum gerendarum & immobilia bona, quibus Respublica sustinetur, diminuantur. Per ejusmodi enim praedia immobilia de bonis Laicorum in Ecclesiam alienata & magno numero concessa, inciduntur nervi regni, & attenuatur potentia civilis, cum Fiscus regius tunc nil amplius gaudere potest feudi apertura, quod in ultima quoque Capitulatione Caes. Caroli VI. respiciebatur, quo etiam tendit Archi-Episcopi Trevirensis prohibitiva constitutio sub Lit. C. Append. I. adjecta, ne quis postea inter vivos vel mortis causa sine Principis auctoritate & consensu, bona immobilia in Collegia Ecclesiastica transferat,

ferat , atque ita non opus sit cum Rege Hilperico Suis-
sonensi anno 565. ad clavum regni Francici evesto , juxta
testimonium Gregor. Turon. Lib. 6. Hist. Franc. cap. ult.
& Lehmann. Chron. Spir. L. II. c. 35. in haec erumpere
verba : *Ecce divitiae nostrae ad Ecclesias translatae ; Nulli
penitus nisi Episcopi regnant ; perit honor noster , & trans-
latus est ad Episcopos civitatum.* Suadent non minus
REGVLAE PRVDENTIAE prohibitionem , cum Clerus
semper , ut Monzambano ait , manus habeat magis ad
acciendiundum , quam ad reddendum , nec , ceu tritum illud
tenet , ex inferno detur redemptio. add. Hertius in Opusc.
Vol. II. Tom. III. paroem. X. Kein Pfaff gibt ein Opfer
wieder. Accedit exemtio a jurisdictione civili ; et si enima
in actione reali Clericus coram Judice Laico convenien-
dus per auth. Clericus. C. de Episc. cap. I. de privil. in 6.
quippe quod non solum in Clericis , verum etiam Laicis
foro privilegiato gaudentibus obtinet , siquidem ejus-
modi privilegium fori tantum de domicilio judice capien-
dum , minime vero ad forum contractus , delicti , rei
fitae &c. extendendum , per alleg. cap. I. de privil. in
6to. add. Schilter. Exerc. ad π. 30. §. 138. & Inst. Jur.
Can. Libr. I. Tit. 18. §. 6. ibique cit. ubi simul contra
Schilterum notandum , quod Clericus non mediante suo
superiore , sed immediate statim , etiam sub poena con-
fessi & convicti a Judice seculari citari queat , cum illud
non sit necessitatis , sed urbanitatis. Respuere tamen
crebro nituntur Pontificii forum seculare etiam in rea-
libus , ex praetensa absurdā & minus fundata ratione , quod
bona Clericorum participant eorum privilegium , prout
ex Martha contra expressas Leges perperam evincere
conatur Engel. in Colleg. Jur. Can. Lib. II. Tit. 2. §. 5.
num. 40. ut propterea melius ad evitandas Sacerdo-
tium inter atque Imperium turbas , in tempore occur-
ratur.

22 CAP. I. DE ALIENATIONE AD MANVS MORTVAS,

ratur querimoniis & innumeris difficultatibus , quas etiam Germaniae clerus contra ferenda subsidia & onera publica , nescio ex quo facto immunitatis privilegio , posthac movere non erubescit. Summo itaque jure & saluberrimae publicae salutis ratio fines acquisitioni ponit , sine scil. iussu & indulgentia superioris bona Lai-
corum non acquirere , ne inde Respubl. capiat detrimentum propter AMORTIZATIONEM , quae est actus , quo bona secularia transferuntur ad manum mortuam ; vel specialius : est translatio bonorum immobilium consensu Principis & superioris in manum mortuam , qualis est Ecclesia , quae dicitur per accidens possessor immortalis , cum clerici manus mortuae nomine venientes supraque memorati Ecclesiae vel acquirant , vel acquisita post mortem relinquere , & sic ad Ecclesiam , ceu collegium immortale transferre cogantur. Vnde merito etiam Status provinciales Edictum prohibitorum petere valent , quapropter nuper demum d. 26. Jan. 1725. pro Statibus Provinc. secularibus Archi- Episcopatus Coloniensis in puncto Edicti prohibitorii ejusmodi rescriptum Caesareum notatu dignum publicatum fuit , quod in fin. Diff. Append. II. sub num. II X. legi potest. Jus vero amortizandi competit Principi vel superiori , & cui id ab eo concessum , conf. hic omnino Argentreus *ad consuetud. Brittan. Art. 56. des Droits du Prince, not. 1. num. 24.* & 25. ubi inter regalia & jura praecipua Regis jus amortizandi refertur , addita hac notabili restrictione effectus amortizationis : quod illa etiam absoluta & infinita , a fidelitatis sacramento , quod Regi debetur , nunquam eximat , nec a recognitione supremi Imperii aut resortu supremarum appellationum &c. An etiam absensis Principis procuratori , vel Tutori ? De eo vid. Swendendorffer. *diff. de manu mortua. th. XI.* ibique citati , vid.

vid. & Prieschenk. de *Amortizatione bonorum.* it. Fritschius in *Exerc. Jur. Publ. part. I. Exerc. 7. de amortiz. bonorum.*

CAP. II.

DE

VERO VSV ET EFFECTV AMORTI- ZATIONIS SIVE ALIENATIONIS AD MANVS MORTVAS.

In *Tb. 1.* generalia quedam principia Pontificia rejiciuntur. *Tb. 2.*) Distinctiones Δ) inter onera five munera realia & personalia. θ) Ad dotem Ecclesiae necessaria & extra illam constituta. γ) Inter tributa ordinaria & extraordinaria, ad immunitatem clericorum nihil facere ostenditur. *Ib. 3.* Textus ex utroque jure obstantes removentur, ubi simul & in seq. *Tb. 4.* Ex jure civili, feudali, Publico Germ. quin ex ipsa Imperii praxi, Clerum nunquam a steuris immunem fuisse late probatur. *Tb. 5.* & ult. Effectus verus Amortizationis tam apud Pontificios, quam apud Protestantes sifstir.

I.

Quoad effectum amortizationis plura forent dicenda, sed hac vice tantum, quantum instituti ratio chartaeque angustia permittet, proferre nobis sufficiat. Communis nimirum Canonistarum schola I.) apud Pontificios mordicus defendit, bona in Ecclesiam delata, quoad emolumenta civilia & usus publicos seculares videri esse extincta, & civiliter quasi mortua, cum generaliter oneribus fundorum possessoribus impositis, haec exempta forent, conf. Tholosan. *Syntagm. Jur. univ. L. 6. c. 1. n. 7.* adeoque ex publicis catastris penitus extincta. Rationem petunt ex c. revertimini. 65. c. 16. qu. 1. ubi dicitur:

tur: *Bona Ecclesiae patrimonium ipsius Ecclesiae, juris divini & quasi in dominio divino, & possessiones ipsius Dei esse; it. bona clericorum, qui sors Dei & jure Dei ea possidere dicuntur.* Et sic Dessel. in Erotem. Jur. Can. Tit. 49. §. 3. de Immunitat. Eccles. concludit ex c. 15. de R. I. in 6. quod semel dicatum DÉO est, iterum ad humanos usus transferendum non est. Quo pertinet & aliud falsissimum principium: quod scil. Respubl. sit in Ecclesia. Quemadmodum vero caliginosa veteris superstitionis nocte feliciter superata, dispersisque divina ope densissimis illis superioris aevi ignorantiae tenebris, nostris temporibus, post detractam arcanis status Pontificii rationibus larvam, non amplius solenne sit, ut quibuscunque Augurum Roman. dictis & persuasionibus stylo veteri simpliciter habeamus fidem; ita quoque praedictas futilis valdeque jejunas rationes partim blasphemiam Ethnicam redolentes, partim autem apertam in adepto contradictionem involventes, dudum viri docti jam destructum ivere, & conferri hic merentur saepe laudatus Dn. Böhmer. in Jure Paroch. Sect. V. cap. III. p. m. 290. & consultiss. Dn. Langgut. in eruditis animadversionibus ad egregium cap. XII X. Sect. I. Prud. Jur. Publ. Coccej. ubi late docent, male vocem Ecclesiae tempis & clero attributam, nec bona Ecclesiae esse divini Juris, sed res universitatis, nec rem publ. esse in Ecclesia, quia haec ceu aliud collegium in Republ. habenda, salutem nostram in- & aeternam, illa autem unice externam pacem concordiamque respicit atque curat, consul. hic prae aliis Pufendorffius in insigni libello de habitu religionis ad statum civilem. §. 41. ibique D. Kressius in Lib. Comment. qui ad §. 44. c. 1. præprimis artes Cleri olim adhibitas, scite & ad vivum quasi in compendio depingit. Sunt quoque inter ipsos Pontificios cordatores viri boni, qui exemptionem illam

illam ab oneribus publicis confictam esse fatentur , atque objectionibus contrariis cumulate satisfaciunt , vid. Sperellus *Decis. For. Eccles. decis. 35. n. 4.* it. Prof. primar. Salisburgi Dn. D. Joseph. Bernard Glette *in sua anatomia Juridica Legis Amortizationis & immunitatis Eccles. qu. 1. 2. & seqq. (a)*

D

II. Di-

- (a) Glette *cit. l.* qui clarissimus Autor , ceu veritatis aequa ac Justitiae strenuissimus Zelator , nuper demum atque ita serius quam optaveram , ad manus meas pervenit , & merito in totum huc conferri meretur , ubi non solum omnia adversae Legionis argumenta ex jure Can. & principiis Papatus petita felici Minerva & quoad satis removit , sed & praeterea validissime ex Canon. Tributum. 22. caus. 23. quest. 8. & argum. Canon. Sancitum 25. caus. 23. qu. I. probavit , TRIBUTA REALIA , & ONERA PVBLICA ORDINARIA juxta cum EXTRAORDINARIIS praestationibus publ. immediate ex necessitate publ. indicendis , inque utilitatem Universitatis tum Clericorum tum Laiorum simul vergentibus , non solvi praecise in signum subjectionis , sed praeterea etiam NB. QVOD A PRINCIP E SIVE DOMINO TERRITORIALI BONA PROTEGANTVR , ac defendantur , consequenter juri & aequitati naturali consenteum esse , ut qui sentit utile , sentiat & onus per c. 55. de R. J. in 6. i. e. ut Ecclesia cum Clero , prætendens nimirum esse civis vel membrum communitatis quoad participationem communis protectionis , securitatis & utilitatis publ. fiat quoque civis vel membrum communitatis , quoad contributionem , ideoque omnis MANVS MORTVA , ubicunque etiam sit , ad omnia munera & onera publica legitima , ordinaria atque extraordinaria (addo ob eandem rationem , sive statum publicum aut totum Imperium concernant , sive in cujusque Superioris Territorio indicenda sint) justo tempore semper obligetur . Cæterum apprime & non insultis verbis D. Glette *in cit. Tr. quest. IV. §. 2.* fictum illud immunitatis Eccles. privilegium

II.

Distinguunt vulgo quidem inter munera, quae praediis, & ea, quae personis indicta sunt. Verum id in jure minus fundatum, & omnibus potius legitimis atque ordinariis muneribus Ecclesiis obnoxias esse, omnium optime probat Duatenus de faco. *Eccles. ministr. Lib. 7. cap. 10.* Porro Ziegler *de dote Eccles. cap. 17. §. 41.* ex Petr. Muller. *disp. de immunitate prediorum Eccles. a munibus*, nec non Schilter *Inst. Juris Can. §. 14. L. II. Tit. 6.* distinguunt inter bona Ecclesiae, quae dotis necessariae causam sustinent, & illa, quae ultra dotem necessariam in Ecclesiam transferuntur; illis immunitatem ab oneribus & collectis concedunt, haec autem non iisdem pri-

legium explodit, Cleroque renitenti offam objicit, cuius verba ipsa huic adponere non ingratum erit. Neque satisfacunt, inquit, qui respondent, damnum istud ex immunitate Eccles. ab oneribus publicis redundans sufficienter reparari per hoc, quod Clerici precibus suis pro incolumitate Principis, pro tranquillitate Reipubl. pro felici rerum statu apud D E V M intercedant. Nam etiam pios seculares repertas, qui pro salute Reipubl. frequentes ad D E V M preces fundunt, nec tamen propterea immunitatem prætendunt a tributis. Deinde quis conductit Clericos, ut pro incolumitate Reip. supplices ad Coelum manus tenderent? Nemo sane. Cur E. obtentu precum suarum immunitatem prætendunt a tributis? Forest profecto preces ipsorum nimis pretiosae si Principes tanto cum Avarii dispendio tenerentur easdem redimere. Adhaec, nunquid preces Clericorum sufficientissime compensantur, dum a Principibus proteguntur ac defenduntur: Dum a fidelibus aluntur & sustentantur: dum in omnibus Reip. commolis secularibus exaequantur. Desinunt igitur preces suas ostendere, ac considerent potius, quod non ideo sacros Ordines assumere, ut ampliores redditus perciperent, sed ut a curis secularibus immunes D E O liberius vacarent, adeoque reddant, quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt D E I, D E O.

privilegiis frui volunt. Sed & in priori casu , ubi neceſſitas id postulat , ne quidem quoad personas nedum bona eorum , ullum valere privilegium rectius alii statuunt , immo contrarium potius sequitur ex praemissa Schilteri theſi , quodſi enim ſalvo reipubl. supremo jure res ſecularis transfertur in Eccleſiam , talis quoque oneribus publicis ob supremum reipubl. ius obnoxia maneat oportet , praeſertim cum & Eccleſiae Eccleſiaſtico rumque hominum , facultatibus ſupra modum per ſe hodie abundantium , id maxime deſideret utilitas , ne alioqui , ut ait Duarenus c. l. perforari ſinant nauem , in qua ipſi na vigant . Non minus frigere & vacillare videtur diſtin ctio inter tributa vētigaliaque ſtaua ſive ordinaria , & extraordinaria . Ab ordinariis , quae nervi Reipublicae dicuntur in L. 1. de quaefition. quod ſine illis publicum ſtatutu tueri non liceat , neminem quid detrahere poſſe , per L. nullus . C. de decurion. uno quaſi omnium ore conſententur ; quae vero extra ordinem indicuntur arbitrio Principum , ea ſubire non cogi debere Eccleſias , niſi ob cauam valde neceſſariam Reipubl. ex L. Jubemus , L. Placet , L. Neminem C. de SS. Ecclef. c. 2. X. de Jur. immuni. probare conantur . Talis enim caſus in omnibus aliis privilegiis immunitatem vel exemptionem con cernentibus exceptus cenſetur . vid. H. Grotius L. II. de J. B. & P. c. 16. §. 27. Schilt. loc. cit. L. I. T. 18. §. 11. Enimvero nullum niſi ſtatus publici German. imperitum latebit , tributa haecce extraordinaria praeter caſum & extremae neceſſitatis periculum unquam imperari . Inde quoque conſtitutum legimus in Recell. Imp. de A. 1555. praedia Ecclef. collectas ad expeditionem Turcicam , die Turcken-Steuer / ſolvere debere . Vt taceam plura .

III.

Nec obstat sententiae nostrae *L. i. π. de munere*, quam Desselius loco antea citato pro stabilienda contraria opinione adducit, siquidem ex aliis Imperii Constitutionibus, de quibus statim dicetur, privilegia inibi concessa subinde pro lubitu Augustorum scite elusa fuisse in aperto est. Multo minus obesse potest famosissima avth. *Item nulla C. de Episc. & Cler.* Praeterquam enim, quod illa per denegatam diu Friderico II. coronationem ab Innocentio & successore Honorio III. revera, ut Duarenus loc. cit. attestatur, expressa fuerit, magis ibi de Marchionibus Italiae, quam Statibus Germaniae sermo est, utpote qui nunquam consenserunt, nec lex Imperii universalis doceri potest, E. posito etiam solius Caesaris consensu, nihil tamen agi certum est, quia saluti publicae directo id contrariatur. Accedit, receptum a nobis esse in subsidium Jus civile Romanum in causis duntaxat privatorum, non vero publicum Statum concernentibus, ubi v. g. uti hic, quoad onera publica immunitas concessa dicitur. Immo vero si universaliter receperimus, huic quoque privilegio non tantum *L. 21. C. de SS. Eccles.* ubi diserte dicitur: Ecclesiam non habere aurum, ut illud servet, sed ut in necessitatibus eroget & subveniat &c. verum etiam *t. t. C. si contra jus vel utilitatem publicam vel per mendac. fuerit aliquid postul. vel imperat.* obstat necesse est. Feuda saltem Imperii nunquam non praestationibus publicis obnoxia fuisse, apud omnes in confessio est, & licet per Bonifacii IX. constitutiones *C. Cleric. de immunit. Eccles. in 6to. & C. quanquam de Censib.* omnes omnino Clerici, omniaque praedia ecclesiastica a quibuscumque oneribus eximantur, ita, ut ne volentibus quidem Clericis Romano Pontifice incon-

inconsulto pecuniam conferre liceat, de qua injusta constitutione insigne prostat judicium in Duarenō loc. *supra alleg.* cuius verba huc transcribere non ingratum erit, ubi ait: *Nec mirum est ab insolenti homine impotensique animi, qualem describunt Bonifacium Historici, constitutionem adeo injustam & ab omni aequitate abhorrentem emanasse.* — — Sed si praefracte ac sine exceptione ulla velint Clerici vacatione ista, quam obtinuerunt a Principibus uti, aut abuti potius, nihil profecto erit inhumanius, nihil ab instituto Sacerdotis Christiani alienius; Ac poterit eis merito objici: — — *Professio & desiderium tuum inter se discrepant.* Veruntamen Jus can. hic tantum ad Patrimonium Petri, quod vocant, restringendum, neque Fisco regio per Constitutiones Paparum eo cumprimis tempore, cum hi sacrae Imperii potestati adhuc subessent, derogari potuisse, neque id unquam in Germania receptum esse vel exinde liquet, quia non Papae, sed Statuum consensus unice requiritur ad tributa in Comitiis indicenda, per pac. *Osnabr.* Art. 8. §. *gaudeant, & capitul. noviss.* Caroli VI. omnemque confirmationem summi Imperantis, atque ita etiam constitutionem de iunctunit. Eccles. a Carolo IV. vel in singularem Ecclesiae Mindanae utilitatem tantum, ut multi non ex vano defendunt, vel frustra plane in praecjudicium totius Imperii Mindae publicatam, A. 1377. (ipsum diploma exhibit Goldastus *Confitt. Imper. Tom. III. p. 315.*) contra utilitatem quippe publicam factam, nullam atque invalidam manere H. Grotius apprime nos docet *Lib. II. de J. B. ex P. c. 5. §. 10. & Cap. XIV. §. 12. n. 5.* idem dic de similibus Impp. constitutionibus; neque hanc tenus refragatur Ziegler. *de Jur. Majest. Lib. I. cap. 41. §. 34. seqq.* cui add. Vir multijuga eruditione clarissimus Dn. Conil. Langgut, *Praeceptor quondam meus actatem*

D 3

deve-

30 CAP. II. DE VERO VSV ET EFFECTV AMORTIZATIONIS

devenrandus, in animadu. ad Prud. Jur. Publ. Coccej.
cap. 21. Super haec non jus Can. sed. jus Feud. Germ.
semper obtinere, quotidiana Imperii Praxis satis loqui-
tur, in concordatis etiam Nationis German. Papae so-
lam Episcoporum confirmationem, Imperio autem o-
mnimodam secularitatem reservatam fuisse, inter omnes
facile constat, consequenter eatenus Juris Canonici nul-
lum robur nullusque valor esse poterit in Germania.
Possident siquidem Principes Ecclesiastici (licet contra
Tit. X. ne clerici vel monachī secularibus negotiis se immi-
sciant, (quia officium sacrum & profanum in uno eodem
que subiecto simul consistere nequit, civiliter saltem) (a)
feuda Imperii, possident regalia saecularia, regunt regio-
nes & homines, ideo Cæsar iniquum illud pactum a
Pontifice Rom. olim expressum insuper habens, etiam
sine consensu Papae, utique summo jure Steuras & ser-
vitia indicere potest. Jam olim nimirum Principes Ec-
clesiastici extabant iu clypeo secundo, quia feudi militi-
aeque capaces erant, reliqui Praelati tantum adoham, sic-
ut foeminae, praestabant, tanquam servitorum mili-
tarium aestimationem, videsis Spec. Suev. seu Jus Ale-
mann. p. 22. c. 65. al. 67. Jus Saxon. Provinc. c. 37. Säch-
sisches Lehn-Recht. p. m. 261.

IV.

(a) Cordatum sane hic irerum edit judicium scriptor Pontificius
loc. supr. cap. praeced. Th. IX. cit. du Fresnoy p. m. 161. d. l.
L' histoire de l' Eglise d' Allemagne n' est pas moins belle, que
celle de l' Empire. On y verra un Clergé, qui se trouvant me-
dioore dans ses commencemens, s' eleve tout d'un coup par la li-
beralité des Empereurs, jusqu' à la puissance supreme de Princes
Seculiers. Et peu a peu les choses sont venues à un point, qu' on
a maintenant beaucoup moins d' égard dans les Elections au poids
de la sollicitude pastorale, qu' à la qualité de Princes temporels.
Ce qui contribue à maintenir aujourd' hui l' Eglise d' Allemagne
sur le même pied, ce sont les biens & les richesses fort au dessus
de ce qu' en devroient avoir des ministres de JESUS - Christ &c.

IV.

Porro Dn. ab Eiben in *Electis feudalibus*, Principes & Praelatos clericos non solum qua Vassallos, verum etiam qua cives Imperii & subditos oneribus publicis obnoxios esse doctissime demonstrat. Si vero Principes servitia praestare tenentur, ut patet ex Formula juramentorum Stryk. Exam. Jur. feud. adjecta n. 14. p. m. 511. seqq. cur non & Praelati in monasteriis adoham solvant? qui tamen melioris conditionis non esse debent, E. etiam monasteria nunquam libera erunt ab oneribus publicis in Germania. Immediati videlicet Episcopatus, monasteria &c. solvunt onera juxta Imperii & circulorum matriculam, ut cives s. subditi Imperii immediati; Mediata autem suo contribuunt Episcopo, qui post deinde simul ex suis feudis juxta modum in matricula conventum debita servitia & onera praestare tenetur Imperio. De bonis vero Ecclesiae mobilibus notanda sunt verba R. I. Spirens, de A. 1542. §. 65. *Aber der Kirchen Kleinoder und Gezieder sollen in der Anlage nicht mit begriffen, sondern als zu einem Schatz der Christenheit, wo man dessen zu einer eylenden, nothwendigen, unvermeidlichen Hülffe bedürfen würde, gespart und behalten werden.* Idem repetitum legitur in R. I. Spirens. de A. 1514. §. 44. Ex quibus constat, supellecibilem illam Ecclesiasticam non esse contributionibus obnoxiam, sed eam tamen exigente necessitate alienari posse, vid. Mulzius in *Repräsent. Majest. Imp. P. II. c. 33. n. 112.* Imperatori quippe & Imperio jus supremum & dominium supereminens competere, nullus nisi salutis publicae obtrectator inficias ibit. Ecclesiastis etiam non solum feudorum, sed & subditorum jure contribuere hactenus audivimus; Papae namque nulla in Secularibus potestas per commune

mune Imperii conclusum unquam relictā doceri poterit, quoniam ab exemptione a Jurisdictione in causis personālibus, ad immunitatem ab oneribus publicis perperam inferri, sua sponte sequitur. Contrariae Pontificum constitutiones in praxin Germ. nunquam deductae, nec deduci possunt. Hinc Sacra Caesarea Majestas cum Statibus Germ. ne structurā Imperii penitus dilaceraretur, in Pace Westphal. multa bona Ecclesiastica ad Seculum reduci, ob supremum jus & dominium in personas & res subditorum in casu necessitatis & utilitatis publicae cōpetens, passi sunt, ordinato similiter, vel invito Pontifice, anno decretorio, aliisque Legibus Eccles. in Art. V. I. P. promulgatis, inanem Papae protestationem interpositam propter extremum necessitatis periculum & utilitatē publicam susque deque merito habebant, prout expresse cautum legitur *art. ult. §. 2. seq.* dicti Instr. Pac. addi hic meretur Hornbek in sua deductione de nullitate factae *Protestationis contra Pacem Westphal.* Libertas etiam Ecclesiae Germ. partim ex Concord. Nation. German. apparet, partim etiam ex Conciliis nationalibus Basileensi & Constantiensi stabilita fuit, Patribus e societate Jesu cum sanctissimo Patre frustra obtentibus. Consimili modo Regem Galliae inconsulto Pontifice Clerum collectare ostendit Mulzius in *Repraesent. Majest. Imp. p. m. 967.* ibidemque *p. 970. seq.* bona Ecclesiastica oneribus publ. nunquam non obnoxia fuisse, Legibus Imp. publ. late probat. Papae enim omnia in manus dare, etiam Pontificii quidam jam sapientiores dedidicerunt. Militat idcirco pro nostra sententia jus, militat denique salus publica, quae nobis semper suprema lex esto. Rex puta & Princeps sunt custodes salutis publicae, sunt propter populum, neutiquam vero populus est propter Principem, Regem, Papam &c. Exinde igitur facile colligi poterit, quam lubrico fundamento,

mento, quamque infirmo innitatur talo jactatum illud immunitatis clericalis privilegium. Ast quoniam Clerus Romanus Imperanti civili subinde opponat illud : Noli me tangere &c. prudentius acturos Principes certum est, sicut jam supra *Cap. I. th. ult.* dictum, quando nimis Laicorum alienationibus ad manus mortuas per mandata inhibitiva remoram injiciant.

V.

Solus E. AMORTIZATIONIS EFFECTVS supereft
 I.) APVD PONTIFICIOS, quod tunc Manui Mortuae sive Ecclesiae competit jus, praedia aliaque bona immobilia absque periculo acquirendi & in perpetuum possidendi, adeo ut ea nec extra manum suam rursum ponere, nec ab iis decedere, aut in personam capacem transferre sit necessarium; quem effectum quoque unice agnoscere videtur Schwendendöffer. in *alleg. Supr. diff. de man. mortua, th. 17.* De caetero, quicquid ante alienationem oneribus obnoxium fuit, illud nec post eam exemtum esse potest; quapropter Nobiles immediati aliique praedia censitica ementes, semper Steuris obnoxii manent, nisi privilegiata antea fuerint; & quidem ne matricula saepius mutanda, quisque ad locum antiquum & pristinum de feudo forte relapso, vel alio praedio coemto contribuere tenetur, sunt enim onera realia, i. e. rei cohaerentia. vid. L. B. de Lyncker. *ad Dessel. Erotem. Juris Can. p. m. 183.* est quippe regula utroque jure probata, quod res transeat cum suo onere, *cap. si ex litteris. 5. X. de pignor. L. 3. C. de servitut. L. 23. §. 2. ff. de serv. P. R. L. 67. ff. de contrah. E. V. L. 12. C. de distract. pignor.* & nemo plus juris in alium transferre posse, quam ipse habeat, *L. 54. ff. de R. J. Cap. Nemo. 79. d. R. I. in 6.* Ergo qui non habet rem, nisi ut affectam onere tributario,

E

non

34 CAP. II. DE VERO VSV ET EFFECTV AMORTIZATIONIS

non potest eandem nisi cum hoc onere transferre in M-
num Mortuam, quia Principes non censentur propterea
jure suo eminentे statim cedere: sicut nec privatus cen-
sentur jure suo cedere, si fundus servituti aut pensioni an-
nuae obnoxius transferatur in Ecclesiam, conf. huc L. fin.
*C. de exact. Tribut. & P. Peckius in Tr. de amortizatione
bonorum. cap. 6. p. m. 264.* quae sententia variis praecaudi-
ciis summi Dicasterii Caesar. corroboratur, quorum tria
exhibentur in fine Diss. sub No. I. II. III. Append. II. quae
omnia etiam de MANV MORTVA dicta sunt. Contra
ea II.) in terris PROTESTANTIVM regulariter Amortiza-
tioni nullus erit locus, eo quod apud nos bona Ecclesias-
tica, cum ipsis Ecclesiis & Clericis Imperio civili subiecta
funt, hincque bona Laicorum oneribus publicis obno-
xia, in Ecclesiam translata iis eximi neutiquam possunt,
unico fortassean casu excepto, ubi praeter necessitatis
periculum exemptio subsistere valet, v. g. si illorum ac-
cedat consensus, quorum interest.

VI.

Proinde nec illorum sententia indiscriminatim admit-
ti posse videtur, qui apud Protestantes Ecclesias immu-
nes esse afferunt, quamdiu Princeps velit. Quaecunque
enim praedia ante alienationem, ea & post illam libera
manere regulariter debent; idem dic de iis, quae ante
Instrum. Pacis immunitate gaudebant, mutatio enim
non praesumitur. Quando vero in insigni necessitatis
casu, Princeps Interesse Reipubl. valide urgere potest,
tunc facilius sententiae huic subscribendum erit; quam-
quam id non tam contra justi, quam prudentiae regulas
quodammodo pugnare nonnunquam videtur, praeser-
tim in iis provinciis, ubi Ecclesiae de bonis suis ultra mo-
dum seculari yeste iterum indutis, nec juxta primam Fun-
dato-

datorum intentionem ad pios & Reipublicae proficuos usus adhibitis, conqueri necesse habent. Jus tamen amortizandi bona Ecclesiis relicta in nostris etiam Ecclesiis, exigente favore publico, introduci posse, rectissime sentit Dn. Böhmer. *in Jur. Eccles. loc. supr. cit. §. 31.* Ratio tamen prohibitionis hucusque cessabat, propterea quod respublica August. Confess. Statuum, nimiris donationibus in Ecclesiis factis, non adeo exhausta, nec dum iustas querulandi causas habebat, neque Ecclesiis nostris coëmendo nimium bona secularia, utilitatem publicam intervertendi, ob exiguum patrimonium, sufficientes vires aut facultates suppetebant. Aliis autem sic dictis piis fundationibus, v. g. Stipendiis & id genus pluribus Steurae ut plurimum detrahi solent, neque id injuria, quando illa a potiori ex bonis antea catastro publico jam insertis, quondam condita fuerint. Plane itaque firma maneat regula: *Non posse Ecclesiæ & Universitates aliter habere immunitatem, quam quatenus superior iis hanc indulserit, & sine detimento reipubl. indulgere potuerit*, cum omnis exemptio sit a jure humano, sicut Ziegler. sat valide contendit *de dot. Eccles. c. 12. §. 22.*

CAP. III.

DE

INVALIDITATE CONTRA STATUTVM PROHIBITIVVM FACTAE ALIENATIONIS AD MANVS MORTVAS, ET DE NONNULLIS QVAESTIONI- BVS PRACTICIS IN HAC MATERIA POTIS- SIMVM OCCVRRENTIBVS.

Tb. 1. Statuta quaedam prohibitiva Ordinum Equestrium adducuntur, & quidem cum praejudiciis notatu dignissimis in
Tb. 2. & hac in causa a summis Imperii Tribunalibus publicatis

tis. Th. 3. Mandata S. C. omnino locum habere contra alienationem ad manus mortuas, & m. f. possessorem contra factam novi operis nunciationem innovando pergentem donare praesumi demonstratur. Th. 4. & reliquis seqq. Quæstiones practicae numero X. explanantur & deciduntur, ut in marginalibus suo ubivis loco videre est.

I.

EX praecedentibus itaque omnibus ad extremum satis liquet, ubicunque appareat prohibitio, ibi factam bonorum secularium alienationem esse nullam, invalidam, & res illas prorsus extra Ecclesiae & manus mortuæ commercium, quin immo, ut summo jure defendit Dominus Böhmerus *loco antea cit. §. 26. seqq.* & Petr. Peckius *cap. 9. p. m. 283. seqq. de Amortiz. bonor.* ne quidem aestimationem deberi in bonis ejusmodi, s. inter vivos, sive per modum ultimae voluntatis Manui Mortuæ relictis, praeprimis, si in Edicto prohibitivo extet clausula annullans & irritans, qualis etiam reperitur in praec. Cap. I. th. ult. allegato STATVTO EQVESTRI FRANC. Cap. 15. ibi: Alles und jedes / was hierwieder quocunque modo attentiret oder vorgenommen werden wolle / Krafft dieses von keiner Würckung seyn/ ut. cuius statuti notabilis integra verba in fin. sub lit. B. Append. I. inserere non abs re esse visum fuit. Immo ipsos etiam Archi-Episcopatus, & imprimis Trevirensem hanc agnoscisse aequitatem, & alienationem ad MANVS MORTUAS prohibuisse supra Cap. I. Th. 9. jam adductum & sub lit. C. Append. I. adjectum reperitur. Quæ omnia etiam in extensione privilegii RETRACTVS RHENENS. itidem sub lit. D. in fine inserta contra manus mortuas de anno 1702. ab Imperatore LEOPOLDO gloriosiss. memoriae promulgati, nec non in Confirmatione extensionis privilegii

vilegii Retractus für die Reichs-Ritterschaft in Schwaben/ An. 1718. ab Augustissimo CAROLO VI. clementissime & saluberrime facta atque constituta sunt, sub poena 200. Marcarum auri in turbatores privilegiorum statuta *Lit. E.* in fin. App. I.; suntque haec non solum privilegia & statuta, sed plane decisiones Augustissimi, licet in favorem Ordinis Equestris duntaxat confirmata & promulgata, (nostra enim facimus, quibus auctoritatem impartimur nostram, sicut ex *L. 2. §. quae omnia. C. de vet. jur. encl. egregie differit Grotius de J. B. & P. L. I. c. 4. §. 4. n. 1.*) ideoque cuivis eo sanctius observanda; nec praeterea jus Caesareae Majestati quae situm per Pontificis Maximi praesentes & futuras, vel ab invitis Augustis coactas constitutiones, quarum supra *Th. 1.2. 3. Cap. II.* mentionem fecimus, auferri potest, alias reliqui Nobilis immediati per talismodi attenta nimium onerarentur, immo totum CORPVS EQVESTRE successu temporis plane dissolveretur & destrueretur, cuius tamen vigor valorque invictissimo ac summo Reipubl. German. Protectori, per tot privilegia Caesarea, maximopere curae cordique nullo non tempore maneat; nimirum constat, quod, quidquid juris habet Pontifex in bona Imperio subiecta, illud habeat ex transactione vel conventione, quae nomine Concordatorum Nationis Germ. veniunt; Cum itaque dominium supereminens in bona Ecclesiastica, per ejusmodi Concordata Pontifici neutiquam concessum sit, sed apud Imperatorem remanserit Rom., & ratio inde deducatur, ob quam in Germania nulla Pontifici conceditur potestas contradicendi alienationi s. secularisationi, ut vocant, bonorum Ecclesiae: Tum multo minus Pontifici aliquid indulgendum, si Privilegiis & statutis prohibitiis alienationum ad manus mortuas, sese

opponere vellet. Taceam, quod ex Instrum. Pac. Os-nabr. per expressum artic. ult. XVII. §. 2. & 3. firmissimam formare licet regulam: *Quoties Jura Canonica Statui publ. Germ. aut saluti Imperii, praeprimis Lege hac perpetua & fundamentali, stabilitae adversantur, toties illa ne quidem inter Romano-Catholicos attendenda sunt.*

II.

Extant porro praejudicia sat multa, in hac materia a Supremo Dicasterio Imper. Aul. publicata, quae uti consideratu dignissima & rei illustrandae apprime facere possint, ita eo minus nonnulla hic adponere dubitavi, in totum in fin. Diff. sub No. IV. V. VI. VII. Append. II. Ex quibus omnibus abunde satis clarescit, statutum hocce Equestris Ordinis prohibitivum in viridi esse observantia, quin pene per omnia in ipso etiam contradictorio, ut ajunt, confirmatum.

III.

Rebus sic se habentibus, cum ex tenore antea dicti statuti in vim perpetui & privilegii Caesarei, sub poena illi inserta, cuivis ex Corpore Equestri membro alienatio vel oppignoratio, quae viam ad alienationem sternit, vid. infra Thes. XIV. ad manus mortuas in totum interdicta, & attentatum negotium prorsus quippe inefficax, ipso jure nullum, adeoque omni exceptione remota ad mandatum S. C. satis qualificatum sit, summo utique jure a S. Caesarea Majestate talismodi mandatum S. C. pro cassando hocce attentatum, & remissione puncti practensarum meliorationum ad separatum processum, admittendo relutionem, eumque in finem decernendo Commissionem Caesaream de accipiendo summam pro litigioso praedio solutam in depositum judiciale,

ciale, & immittendo reluentes in bona nulliter diven-
dita, ceteris paribus, expeti & impetrari potest. Nam
si factum, super quo mandata Caesarea petuntur,
per se de jure, aut consuetudine vel statuto & speciali
privilegio ita prohibitum sit, ut illud perpetratum, abs-
que ulteriori causae cognitione pro iniquo & puniendo
habeatur, nec ullo jure justificari possit, mandati S. C.
processui semper locus est. vid. Dn. Parentis mei *compen-*
dios. Introd. ad praxin August. Jud. Caesareo-Imperialis
Aulici, sect. I. c. 7. §. 9. De cetero attentata contra pro-
hibitionem statuti alienatione ad manus mortuas, regu-
lariter nihil causae subesse arbitror, cur Ordo Equestris,
praesertim in casu deficients Con-Membri, bonum
praetense alienatum soluto eodem pretio retracturi, gra-
vissimis sumtibus sese implicare velit; verum potius tu-
tissima aequa ac facillima via erit adeundi S. C. Majesta-
tem, pro cassando alienationem & decernenda citatione
ad videndum se incidisse in poenam privilegiis & Ordina-
tioni Equestri insertam, quae est 60. marc. auri puri, una
cum excitatione Fiscalis contra alienantem, similiter ur-
gendi pretii conventi publicationem, sicubi forte illegi-
tima venditio, absque praevia denunciatione emtoris &
pretii, Ordinis Equestris Directorio facta, atque sic clan-
destine cum Manu Mortua peracta fuisset, juxta teno-
rem der Fränkischen Ritter-Ordnung Part. I. Tit. 15. p. 46.
ibi: der Rauffschilling der Confiscation unterworffen &c. it.
Privil. Retractus de A. 1688. p. 221. ibi: bey Confiscation des
Rauffschillings &c. Denique sicut realis pretii depositio
non amplius necessaria est, si praetensus fortean emtor
retractui sua sponte cedere nolit juxta memoratam Or-
din. Equestr. P. I. Tit. 15. p. 47. ita in casu alienationis ad
manus mortuas, ubi relutio suscipiatur, eo minus etiam
requiritur, reapse deponere pecuniam ad reliendum ne-
cessa-

40 CAP. III. DE INVALIDIT. CONTRA STATUT. PROHIBIT.

cessariam; Nimirum non sufficit, ut alienatio facta sit, sed praeterea etiam contractus utrinque validus sit oportet; Et tunc cum effectu retracturus, pecuniam intra debitum tempus realiter offerre, vel rite & legitime deponere, adeoque in deposito juris necessaria requisita probe observare tenetur, per L. 1. & 7. C. de pact. inter emt. & vend. compos. quo facto statim rei dominium acquirit, ac emtor restituere retrahenti debet rem cum fructibus pendentibus & perceptis post actu oblatum & rite depositum pretium. arg. L. 2. C. d. t. add. Struv. Jurispr. for. R. G. L. 3. Tit. 11. §. 37. Neutquam vero retractus exerceri potest, nec realis illa pecuniae depositio requiritur, si actus juxta Statutum & Legem specialem, quæ derogat juri communi generali, ipso jure nullus & inefficax sit, vid. Tiraquell. de retract. lin. §. 1. cons. 2. n. 5. Rhetius diss. de jure retractus gentil. c. 3. n. 3. seqq. atque ita quaevis alienatio ad manus mortuas contra statutum prohibitivum facta irrita manebit. Forma etenim alienationis validae circa bona Equestria vult, ut emtor & vendor habiles sint ad celebrandum contractum, deinde ut juxta statuti tenorem bona Nobilium immediatorum immobilia non nisi ad unum suae conditionis transferantur, nunquam vero ad MANVS MORTVAS. E. necessario perpetua exinde conficitur regula: Quotiescumque contra statutum res ad manus mortuas alienatur, toties forma alienationis praescripta negligitur; forma autem neglecta actus ipse in totum perit, per se nullus est, nulloque modo effectum nancisci potest, per L. 5. C. de LL. Si itaque actus & contractus inanis est, non opus erit retractu, nec multo minus reali pecuniae depositione, quia valor & efficacia alienationis prorsus cessat, sed res hactenus in statu quo manet, nihilque agitur, neque tandem ex jure retractus, sed potius ex capite

pite nullitatis contractus , per saluberrimum antea adductum remedium res , quae in quæstione est , valide revo- catur . Extra omnem non minus dubitationem ma- net , denunciatum statim a momento factae denuncia- tionis statuti prohibiti de non alienando ad manus mor- tuas , immo vel ex solo contractu per Leges & statuta prohibito , rem aliquam comparantem , dum ita contra jura sciens mercatur , non solum in praefumta sed & vere mala fide constitui , per textus operose congestos a Casp. Manzio in Cent. 44. Palat. dec. 47. per integr. conf. c. 82. de R. I. in 6.to. L. 31. π. de usurp. & Usucap. ibique Brun- nem. n. 5. & 17. Tiraquell. de retractu linearis §. 36. ad fin. tit. n. 43. Neque porro contractu per se nullo & invalido , ex subsecuta praedii traditione dominium , aut possessionem quoad effectus juris praetensis m. f. emtor acquirere valet , nihilque ulterius quam nudam detentio- nem ex titulo vitorio ad eundem devolvi , elucescit ex traditione Mevii ad Jus Lubec. part. I. Tit. 2. n. 77. - 79. Chassanaei ad Consuetud. Burgund. rubr. IX. §. 10. n. 9. - 13. Neque hic præscriptionis exceptio vel præsumtio re- nunciationis juris retractus valde , vel in vim aequi- pollentis opponi potest , quando scientia legalis & no- titia seu denunciatio acquisitionis , sub vito nullitatis & confiscationis pretii , ad substantiam contractus in vim specialis Caesarei privilegii essentialiter requiritur : Quo- ties enim lex vel statutum denunciationem circa jus pro- timiseos requirit , toties ea pro ipsius forma habetur , Ti- raquell. de Retract. lin. 9. 36. gloss. 2. n. 29. Mev. part. 2. dec. 252. n. 6. Forma autem rei ad unguem servanda , adeo ut ejus omissione totum negotium vitiet. cit. L. 5. C. de LL. & quando specificie aliquid desideratur , tunc ejus imple- mentum per aequipollens fieri non potest , L. 55. & 94. de condit. & demonstrat. Vnde etiam MANVS MORTVA

F

libero

libero & arbitrario rei contra Statutum acquisitae usū, ceu notabilis possessionis effectu omnimodo destituta sit oportet, multo minus insuper habita protestatione, contra aedificando vel destruendo quidquam via facti innovare valet, alias utique animus omnes meliorationes & expensas jaētandi praesumitur, per L. fin. §. fin. C. Commun. de Legat. Sutor. de Retract. th. 227. Reinking. de Retract. qu. 6. n. 404. & 415. conf. qu. 8. n. 15. Boér. decif. 47. n. 8. Quod si enim emtori in tempore & re adhuc integra denunciatum sit, (sive in judicio sive extra illud fiat, parum interest, per tradit. Stryk. in tr. de Success. ab integr. dissert. VI. c. 4. §. 30.) ne quos in rem sumtus faceret, tunc retrahens ne quidem utiles impensas refundere tenetur, juxta L. utilium. 8. π. de impens. in res dot. fact. L. 17. C. de R. V. Köppen. Dec. 52. n. 26. Gail. L. II. obs. 19. n. 10.

IV.

Sed QVID IVRIS, QVIDVE ALIAS IN PVNCTO
QVESTI. MELIORATIONVM ET IMPENSARVM OBSERVANDVM
 sit? quaeri potest. PRIMARIO respiciendum esse, an & quatenus conditio praedii revera & reapse per expensas & sumtus melior redditia sit, verba sunt Dn. Harpprechti in Conf. V. n. 198. qui porro adducit Goeddeum, Strykium, Reinkingium, conf. Garf. de expens. c. 24. n. 1. *Sumtus, inquiens, & meliorationes diversa sunt, & si expensas fecero, nihil vero melioravero, nihil debetur, quia nihil melioratum est, cum tota ratio sumtus & expensarum dependeat ex melioratione &c.* De expensis fructuum, item quae propter rei tutelam & onera realia fiunt, vel rei ob necessitatem factis, conferri meretur Lauterbach. in Coll. π. theor. pr. tit. de Impens. in res dot. fact. Nullas porro, paeprimis utiles, expensas praesumi, sed

sed probandas esse, optime tradunt Rosenthal. in *Synops.*
Feud. c. 4. n. 40. concl. 43. in gl. kkk. Schrader. *de Feud.*
part. 2. p. 9. seq. 2. n. 60. refir. 2. Mascard. *de probat. concl.*
1040. n. 3. Vtiles enim expensae tales habentur, quae
ad rei utilitatem, & quidem perpetuam & durantem fi-
unt, ut res fructuosior & melior reddatur, indeque re-
ditus acquirantur, per text. expr. in L. 79. n. de V. S.
Mev. *part.* 3. dec. 4. Garsias *de expens.* & *melior.* c. 1. n. 10.
Vmm. *Proc. disp.* 22. n. 3. Deinde requiritur, ut con-
ditio petitoris, aut aliae circumstantiae aliud non sua-
deant, v. L. 38. 27. §. 5. L. 29. n. de R. V. e.g. si possessor
vel detentor praedii equestris immodico ex luxu illud
variis pretiosis aedificiis, ad proprietarii & veri do-
mini privatum statum non facientibus, magnisque cellis
sumtuosis, vini tamen quantitate pariter ac qualitate ibi
deficiente, aggravans, ultra 12. - 2000. in illud consumat,
cum contra ea pro statu proprietarii 600. vel ad sum-
mum 1000. thaleris egregius effectus ad rem faciens sequi
potuisset, jam vero tanta pecuniae summa in mortuam
quasi sortem s. capitale, uti vocant, conversa existat, &
vix 2. pro 100. ex praedio proveniant, & s. p. Sane in
tali casu nulla utilitas praetendi, nec ideo utiles impensae
deduci, neque etiam ob enormes meliorationes jus re-
tentionis adversus dominum exerceri, aut expensae one-
rosae & immoderatae domino reputari queunt, neque
denique earum nomine impendenti vel ejus heredibus
dabitur retentio, aut restitutio praedii retardari poterit
propter expensas illiquidas, si cautio praestetur a domi-
no de resarcendis iis in causam liquidationis, quae sen-
tentia in terminis quoque communi DD. calculo appro-
bata videre est in *Relation.* M. Ottonis, JCti Argentorat.
Schilteri Notis ad Struvii Syntagm. *Jur. feud. adjectis,*
n. 15. p. m. 300. seq. Simile quid cautum legitur in Pri-

vilegio ab Augustis, Rudolpho A. 1609. Ferdinando III. 1652. Leopoldo 1688. & Carolo VI. 1718. concesso, & plenissime confirmato in *Statutis Equestribus* cit. p. 221. verbis: Ingleichen nach abgetretenen solchen wieberlösl. Guth/ die inzwischen beschene nöthige Expensen oder Meliorations-Rosten via juris, i.e. per separatum processum in petitorio, & non retentionis boni retrahendi, suchen und behaupten solle. Plane ut propter expressa haecce verba ne necessariae quidem expensae, quod tamen jure communi secus est, nedum utiles, jus retentionis admittant. B. F. possessor itaque juxta L. in fundo. 38. n. de R. V. 3. casibus utiles deducit expensas, 1.) si dominus alias illas erat facturus, 2.) si illico rem illam melioratam erat venditurus, 3.) si sit dives, & habeat, unde illas refundat. Alias eas cum voluptuariis tollit, ita tamen, ut dominus tantum possit offerre, quantum valeat res post ablationem.

V.

Quae cum ita sint facile dijudicari potest, quid sentiendum de m. f. possessore, qui sciens statutum prohibitivum contra alienationes ad manus mortuas, nihilominus bona prohibita coēmit, nec obstante legitima N.O. Nunciatione facta, impendia tamen inutilia & onerosa continuat, cuius justam decisionem continet L. 20. §. 13. & L. 22. de N. O. N. add. Gail. L. I. O. 16. n. 13. - 16. Quoniam E. jure & modo repetitio fiat? Mandati certe actio cessat, cum potius espresso mandato directo contravenerit, nec actio directa vel utilis Negot. gest. locum invenit, quem nihil prudenter & utiliter, nec ignorante sed potius prohibente & invito domino gestum sit, v. L. 40. n. mandat. L. 8. fin. n. & L. f. C. de negot. gest. At forte actio in factum dabitur ex jure gentium

tium & aequitate naturali, quae neminem cum alterius
damno locupletiorem fieri sinit? & ita quidem videtur,
in casu tamen §. præc. proposito id admitti posse valde
dubito. Accedit m. f. emtorem boni prohibiti, qui in
alieno, post veri domini prohibitionem & denunciatio-
nem factam, sciens sumtus facit, ut relutio eo gravior,
immo prorsus impossibilis reddatur, manifestum a se
vix declinare posse dolum, ex quo tamen nemo sentire
debet lucrum, quum jura subveniant deceptis, non de-
cipientibus, & qui contra LL. committit, frustra eas
invocet per L. 37. π. de Minor. Ut voluptuarias ita-
que potest tantum tollere, modo ablatio ipsi sit utilis,
& fieri possit sine rei detrimento, quia si non
est utilis, aequo animo ferre debet, meliorem praedi-
conditionem factam esse, arg. L. 2. §. 6. de aqu.
& aqu. pluv. arc. add. L. 5. C. L. 37. π. de R. V.
Gars. de expensis cap. V. per tot. Lauterb. in Coll. M. π.
de impens. in res dot. fact. it. t. Tit. de R. V. Stryk. us.
mod. ad dict. tit. §. 16. seqq. Reinking. de retract. qu. 6.
n. 408. & 434. seqq. quandoquidem conditio rem repe-
tentis ejusmodi sumtus extraordinarios fieri nullo modo
permisura fuisset, per text. in L. 98. π. de R. V. ibique
Brunnemann. n. 1. Mev. P. VI. Dec. n. 3. Garsias de ex-
pens. c. 1. n. 25. & 30. Licetque vero domino optio da-
ta sit tantum offerre, quantum valeat res post repar-
ationem & abrasionem; attamen cuilibet jure suo uti,
vel beneficio huic salutari renunciari posse, nunquam
non integrum erit. Praeterea omnes maximi nominis
JCTi uno pene omnium ore fatentur, contractum ipso
jure nullum & ob statutum prohibitivum inefficacem,
scienter ineuntem, omnino pro m. f. emtore haberij, ad-
eo, ut de jure ne pretium quidem repetendi facultas ipsi
competat, nam ita signanter Manzius in Tr. supr. cit. dec.

46 CAP. III. DE INVALIDIT. CONTRA STATVT. PROHIBIT.

47. n. 21. tradit: Quodsi emtor unum vel alterum praedium citra formam sibi comparare praesumisset, hoc in casu is tanquam m. f. emtor neque a venditore, neque ab aliis expositum pretium repetere potest. Hocque juris fundamento innititur dispositio Privilegii Retractus de A. 1688. p. 221. it. Ordinatio Equestris cit. P. I. Tit. 15. §. 46. videlicet pretium emtionis conventum confiscationi obnoxium esse debere, prout supra in *Thef. III. b. c.* jam pluribus adductum fuit. Tantum E. abest, ut ea quae ex mera facultate, liberalitate & munificentia data sunt, item in specie ea, quae proxenetae vel mediatores, venditionem talem, scil. quae tanquam ipso jure nulla contra statutum prohibitivum suscipitur, procurantes, accepere, revocare queat, cum haec ne quidem verus retrahens restituere teneatur, ceu in terminis docent Reinking. de retr. qu. 6. n. 449. seq. Chassan. ad consuet. Burg. rubr. 10. §. 1. verb. *Les frais raisonnables &c.* n. 4. conf. L. 27. π. de aedil. edict.

VI.

Reluentem porro ratione usurarum & interesse, uti vocant, teneri communiter contendunt, quod concedendum, quatenus mora solvendi ab altero probari queat, negandum vero ubi alter in mora accipendi fuerit constitutus, quum per realem obligationem mora purgetur, pecunia enim oblata & deposita instar solutionis est, & sicut cursum usurarum, per L. 19. C. de usur. ideo alter utpote m. f. possessor restituat rem cum omni causa & fructibus perceptis & percipiendis, quos scil. ipse petitor s. dominus percipere potuisset, per L. 5. & 22. C. de R. V. Attamen in tali casu antea necessum est, ut in Aula, vel Camera Imperiali hunc in finem extrahatur, & emtori lega-

legaliter insinuetur citatio, ad videndum deponi &c. idque de jure communi verum manet, cum quo coincidit Privil. Retractus Leopoldi de A. 1688. p. 220. Verum aliud plane in der erneuerten und verbesserten Ritter-Ordnung dicto Tit. XV. p. 47. singulariter concessum reperitur. (a) Si itaque hoc obtinet in Retractu Ordinis Equestris, multo minus realis obsignatio & depositio necessaria est in casu nulliter factae alienationis ad manus mortuas & intentatae relutionis, ubi in terminis veri retractus haud versamur, ceu supra Th. III. pluribus dictum fuit. Insuper expediti juris est, quod impensis fructuum causa factas ab iis, qui praedio fruuntur, sufferri oporteat, nec hoc nomine ullum a reluente vel reemente refusionem sperare liceat, sed illae cum fructibus perceptis compensentur, L. 12. n. de Impens. in rem dot. fact. L. 18. §. 7. ff. Commod. Stryck. de Success. ab intest. diss. VI. cap. 4. §. 7. & in terminis Harpprecht. Resp. Crim. & civ. 5. n. 208. seqq. Denique justitiae & aequitatis regulis convenit, tam b. quam m. f. possessorem ad praedium in pristinum statum, sicut tempore traditionis erat, plenissime restituendum esse obligatum, eos autem sumtus, qui praedio nullam perpetuam meliorationem & utilitatem, sed non nisi temporale quoddam commodum attulere, inter exigua referenda esse impendia, quae fructibus imputantur, juxta ea, quae in hanc rem adducit Reinking. de retr. qn. 6. n. 392. seqq. Detentorem non minus vel possessorem rei alienae omnem deteriorationem

nem

(a) ibi : Daß obschon gemeiniglich zu Salvirung des Juris Retractus erforderl vvvird, den Kauf-Schilling realiter, dem Kauffer zu offenziren, im Vervveigerungs-Fall aber zu obsigniren und zu depônen, dennoch NB. der Einständer hierzu nicht gehalten seyn solle, vvaann der angemaßte Kauffer dem Einstand oder Juris Retractus gütlich nicht nachgeben vwill &c.

nem & damnum sua suorumque culpa datum, juxta verum rei premium resarcire debere, jura sonant tritissima in L. 54. §. fin. n. de hered. Pet. Harpprecht. d. Conf. V. n. 223. seq. Knipschild. de fideicomm. c. 12. n. 203. Schrader. de feud. 2. p. 9. Sect. 2. n. 74. In consignationem quoque reciprocam, moto meliorationum processu merito quoque veniant omnes sumptus ad incipiendum reliutionis negotium, in Deputatos cum parata pecunia in termino & loco ultro citroque praefixo apparentes, nec non in ipsis pecuniae transmissionem multo cum periculo & labore suscepit, emanente tamen altera parte, frustra exhibiti causatique, quorum restitutionem satis precipit L. 79. n. de judic. conf. Vmmii Process. Diff. 22. n. 21. seq. Omne ad ultimum INTERESSE SORTIS ad reliutionem mutuo acceptae, a tempore factae realis oblationis reluenti vicissim deberi nemo ambigit, ob vulgarissimam juris regulam: Quod quis juris in alterum statuat, ut eo ipso ioutatur. Immo vero AD OMNES OMNINO SVMTVS EX CAVSA MORAE ACCEPTANDI REDUNDANTES possessorum obligari arbitror, consequenter etiam, qui pro Commissione Caesarea ad accipendum in judiciale depositum, necessario ob ingens periculum ex otiosa pecunia verendum, impenduntur atque erogantur. Quodsi enim oblato emitionis precio acceptato, ad reluentem partem una cum praedio fructus illius anni, & percepti & percipiendi pertinuerint, secundum L. 33. pr. L. 62. §. 1. fin. n. & L. 22. C. de R. V. Natta Conf. 536. n. 17. Reinwinus de Retr. qu. 1. n. 64. seq. Quanto magis sive b. sive m. f. emtor ad usuras sortis praestissimae a tempore oblationis, rejectae tamen, tenebitur? per jura decantatissima in L. 2. C. de pact. ibi: *habita ratione eorum, quae post oblatam ex pacto quantitatem ex eo fundo ad adversarium pervenerunt.* comp. Hahn. ad Wenbec.

sembe. tit. de rescind. vendit. n. 6. ad vocem : Retra-
ctu &c. cui accedit Stryck. de Success. ab intest. diff. VI.
c. 4. §. 32. *Haec oblatio*, inquiens, *facit*, ut retribuens
post factam consignationem fructus perceptos lucrari possit,
citans in hanc rem Tiraquellum de retract. Convent. ita
quoque tenet Reinwinus de retr. qu. 8 n. 69. si mora em-
toris intervenerit, tunc ab illo tempore, (scilicet de-
bita juris solennitate factae depositionis pretii, aut in
casu recusatae acceptationis, a tempore extrajudicialiter
factae oblationis, arg. dictae Ordin. Equestr. c. I. p. 47.)
fructus restituere necesse habebit, addens n. 71. ratio-
nem, quia mora cuilibet committenti eam nocere de-
bet, L. 134. n. de R. J. & nemo alteri culpam objicere
possit, cuius ipse est reus, Brunnem. ad L. 13. 14. 23. de
act. E. V. Ceterum ut jam ineunte Th. III. & circa fin.
Th. IV. adnotatum, meliorationes ad separatum pro-
cessum remitti, neque in ordine sistendae restitutionis
attendi solent, nec debent, sed ceu res altioris indaginis
supremi Judicis sententiae circa quale & quantum subjectae
manent.

VII.

Vt plurimum etiam oblatio pretii cum expressa refer-
vatione taxationis & reductionis ad justum pretium fieri
affolet, unde altera enascitur quaestio : QVA RATIONE,
QVOVE PACTO IMPARTIALIS TAXATIO PRAEPRI-
MIS AD MENTEM STATVTI EQVESTRIS LOCVM HABEAT?
Equidem per judicium compromissivum, vel alium utrin-
que conventum modum quin fieri possit non est dubium.
Tutius tamen per impartialem aestimationem in quovis
casu, etiam ubi verum pretium loco praedii, ad Manus
Mortuas s. inter vivos sive m. c. translati, restituendum,
tutius, inquam, fieri, jam in saepius cit. statuto Tit. XV.

QVAEST.
II.

G

circa

50 CAP. III. DE INVALIDIT. CONTRA STATUT. PROHIBIT.

circa finem ita cautum: Wie es nemlich durch unparthenische Schätzung desjenigen Ritter-Orts / worunter das Gut gelegen / taxaret und gewürdiget werden wird / se. In privilegio autem NOBILITATI IMMED. FRANC. de 1688. concessio generaliter taxationis juratae mentio sit. (a) Idem specialius in privilegio ORD. EQVESTR. SVEV. e. a. ordinatum. (b) conf. celeberrimi Dni. Lunig. R. M. P. spec. Cont. III. im 2. Absatz N. XIII. & XXXIV. p. 51. 90. 91. & 94. Burgmeister. Cod. Diplom. p. 328. & 334. Fieri ergo turissime debet impartialis taxatio cum reductione ad justum pretium , per Commissionem Caesaream. Eo ipso vero nova & valde nodosa suboritur quae-

(a) veribus: Gegen welch erlegt, oder (auf dem vom Kaufher besehenden nicht Annehmungs- Fall) deponirten Kauf-Schilling, der Kaufher sogleich schuldig seyn solle, das erkaufte Guth dem einsprechenden Mit- Glied, oder Corpori, ohne fernern Aufenthalt und Praetext (der ihm noch nicht vorder gut gemachten Austausch- Stücken, oder inzwischen beschobenen Meliorationen, dieser oder jener ablaugenden Ein- oder Zugabe rungen) unvoeigertlich abzutreten, und einzuhändigen, mit denen eingevorffenen Tausch- Stücken sich an den Verkäufer, derselbe aber auf eine geschwobruene unparteyische Aestimation sich haltend, wie ingleich nach abgetretenen solch vordererflichen Gut, die inzwischen beschobene noethige Expensen oder Meliorations- Kosten, via juris, & non retentionis boni retrabendi, suchen und behaupten solle. vid. tot. privil. in der des H. R. R. obnittelbar-freyer Ritterschaft der sechs Ort in Francken erneuert - vermehrt - und confirmirten Ordnung de 1720. p. 220. seq.

(b) ibi: und im übrigen, da etwau vvegen aufgevandter nothvven- digen Meliorationen und Expensen Streit und Irrung vonstie, so soll solcher Incident- Punkt, auf dasjenige Ritter- Directorium, vorunter das verkaufliche Gut gelegen, vervwiezen, und von denselben NB. mittels Zuziehung der Sache verständigen, und hierzu insonderheit bezydigten Personen erörtert, und besagte Contracts- und Meliorations- Kosten taxiret und moderiret werden.

quaestio : QVID NIMIRVMILLAIN TALISMODI TAXA-
TIONE PROFUNDAMENTO PONAT ? R. Hic aqua haer-
ere solet : Quandoquidem venditor illud justum pretium
esse , ideoque ad tantundem reluentem quoque teneri
urgebit , quantum praesens emtor pro praedio dare pa-
ratus sit. Ordo e contrario Equestris tanquam pars re-
luens negando respondet , eo quod monasteria & Eccle-
siae facultatibus abundantes ipsi vel ingens detrimentum
creare , vel ad extremum reluitionem prorsus impossibili-
lem reddere queant. Casus sane est , qui non omni ca-
ret difficultate , quum de taxatione bonorum Nobilium
certi nihil asseri posse videatur. Putarem tamen , non adeo
inextricabilem hic superandum esse labyrinthum , ut ea
propter filum quoddam Ariadnacum quaerere opus ha-
beremus. Ante omnia itaque falsum illud principium
ad examen revocandum , & tunc ex juris naturalis aequa
ac civilis fontibus destruendum esse arbitror , justum scil.
pretium illud esse , quo non detur majus.

VIII.

In contractu autem id utrinque propositum aut fuisse , aut esse debuisse , ut uterque tantundem haberent , de jure naturali rectissime tradit H. Grotius *L. II. de J. B. ex P. c. XII. §. 12. n. 1.* Pretium vero triplex vulgo statuunt , 1.) commune , 2.) legitimum , i. e. LL. a su-
periore determinatum , & 3.) eminens , quia omnium
rerum vice fungitur pecunia ; De duabus speciebus po-
sterioribus hic agere , ab instituto alienum foret. Com-
munis E. pretii proximum fundamentum est communis
hominum aestimatio , remotum vero cur ? varium est ,
potissimum tamen copia vel raritas , ut probe contra
Grotium , remotius fundamentum cum propinquiori

G 2

con-

confundentem, disputat Gronov. *in not. d. l. §. seq.* 14. Non itaque Plinii in luxuria, non Ciceronis in Cupiditate positum fundamentum proximum admitti potest. In puncto quidem non convenit, sed aliquam latitudinem habet aestimatio plurium; quicquid sit, cogor enim, ne extra oleas vagari velle videar, ad rem reverti, & sufficere cum Grotio reor, de JVRE NATVRALI non tam ob alterius pretium affectionis, quam potius tanti regulariter res aestimari, quantum pro ea communiter offerri aut dari soleat, habita insuper in communi illo pretio ratione laborum & expensarum &c. add. hic Pufendorff. *de J. N. & G.* aliisque jur. nat. DD. De JVRE CIVILI idem adhuc clarius in L. 63. π. ad L. Falcid. cautum repertur, ubi Paulus JCtus ita ait: *Pretia rerum non ex affectu, nec NB. utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, id est: ut L. 33. π. ad L. Aquil. explicat, *quanti omnibus valeret*, quo collimant textus & DD. plures, quos Schüzius in Comp. Lauterb. ad π. p. m. 306. circa finem allegavit. Evidem Carpzovius P. III. c. 15. Def. 40. n. 3. falso huic principio patrocinari videtur, pretium quippe justum esse, quod pinguiori non supereatur. Idem tamen in alio loco P. II. C. 33. d. 1. ita a Legislatore Saxon. decisum, in foro communi autem maxime incertum esse refert: *Etsi alias juris expediti non sit, qualenam pretium is, qui jure protimiseos utitur, solvere teneatur*, Jason. in L. qui Romae. 122. §. 3. n. 23. π. de V.O. Andr. Tiraquell. de Retract. §. 1. gloss 18. Berlich. p. 2. concl. 41. n. 2. seqq. attamen in foro Saxon. res ita decisa, ut qui rem venditam retrahere cupit, non modo justum ejus pretium, sed & majus tantumque solvere debeat, quantum ab alio consequi venditor possit. Sed ita de jure Saxon. speciali, quod ad nos, qui in foro communi versamur, nihil attinet, neque hactenus ullum adferre

ferre valet praecudicium. Et fluit fortean illa JCTorum incertitudo ex L. 1. §. 15. n. ad S^ctum Trebell. & L. 82. n. ad L. Falcid. ex quibus quidem conspicuum est rem in statu civili tanti valere, quanti veridi queat, tantique aestimari posse, quanti emtorem inveniat, sed exinde non sequitur, quod contrahentium alteruter non possit agere ad rescindendum contractum, ob laesionem enormem, ex oculari inspectione peritorum rei aestimatorum non adeo difficulter probandam, aut quod in judicio contradictorio ubi pretium justum & aequum definiendum, de quo priores cit. LL. agunt, non magis communis hominum aestimatio, quam affectus utilitas-ve singulorum respici debeat, uti ipse Carpzov. antea dissentiens P. I C. 34 def. 6. sententiae huic subscrabit. Nec obstant porro nobis arg. L. 33. pr. n. ad L. Aquil. L. 1. §. 16. n. ad S^ct. Tertull. L. 18. §. ult. n. de m. c. donat. ubi illud justum & verum rei pretium esse censetur, quod populo ad licitandum admisso, fuit constitutum, quumi omnes illae leges de venditione sub hasta publ. facta loquantur, add. Dn. a Berger Resol. LL. obf. Tit. de rescind. vend. qu. VI. Nimirum in subhastatione plus licitantes adjudicanda; itaque pretium illud, quod in licitacione non superatur, justum esse videtur, quanquam & in hoc casu non unum dissentire me non latet, qui judicem ex officio rem aestimare & plus licitare posse existimat, quia & hic saepe minoris aut majoris pretii venditio est, quam tamen controversiam, utpote exceptionem a regula, nec proprie huc pertinente in medio relinquo. Nobis saltem ex jure naturali pariter atque civili probasse sufficiat, regulariter falsam esse eorum opinionem, qui justum pretium esse, quo non datur maius, sibi imaginantur. Qua praecudiciali quaestione remota, Ordinem Equestrem in casu supposito melioris juris praestim-

G 3 tione

54 CAP. III. DE INVALIDIT. CONTRA STATUT. PROHIBIT.

tione niti juvarique nemo non intelligit , quum praeterea pro ea clarissima Statuti verba militent contra manum mortuam : ibi : *Wann es zumahlen ex titulo lucrativo, oder auch in titulis onerosis NB. umb ihren vielen Geldes willen / ultra justum pretium beschehen / oder viel darinnen melioraret worden ist/ der Ritterschafft die obverstandene Einlösung schwehr gemacht wird ic.* Quibus verbis satis indicatur , Ordini Equestri non posse cedere in praejudicium , si unus vel alter melioris fortunae emitor praedium Nobile quoddam ultra justum pretium sibi comparaverit , neque ita venditorem in juris sui fulcimentum , contra reluentem adducere posse falsum illud principium , justum esse pretium , quo non detur majus.

IX.

Alias taxandi modus etiam non contemnendus est , ut in venditione bonorum Equestrium triplex petatur aestimatio , quae simul addi & per 3. dividi solet . Juxta mentem autem Statuti & privilegii , Commissarius Caesareus I.) per viros integrae vitae scelerisq; puros notaeque & expertae fidei , brevi omni exceptione majores , inque hac arte satis peritos aestimatores , praestito juramento juxta veros bonorum , de quibus quaestio oritur , redditus aequalem taxam fieri curet , qui (meo quidem judicio) maxime omnia ad amissim computantes , accurata animi lance perpendant , an deducto onere , quod ipsi praedio perpetuo cohaeret , pretio corresponteant redditus fundi , alioqui ex adverso pretium , plus justo conventum nimisunque excedens moderare , & fructibus quoad satis juxta aequum & bonum exaequare debent , addesis L. 92. de Legat. I. L. 13. pr. π. de reb. eor. qui sub tut. Gail. de pignor.

gnor. c. 18. n. 12. habita praeterea ratione loci rei sitae, temporis, dilatae vel emancipatae solutionis, pacti onerosi adjecti, dignitatis annexae &c. vide late Lauterb. Coll. n. Theor. pr. Tit. de contr. E. V. §. 54. & 57. ibique magno numero alleg. DD. 2.) qualitas bonorum probe respicienda erit, & diligenter pensitandum; utrum feuda masculina, foeminina, an mixta, hereditaria & promiscuae successionis, aut mera plane allodia sint, & 3.) numne praedium alienatum litibus aut aere alieno gravatum sit, nec ne? pariter 4.) & postremo, an subditi contra superiorem suum in puncto religionis, collectationis & operarum nulla gravamina movenda habeant, & sic deinceps: Quibus omnibus & singulis accuratiore mentis indagine pervestigatis, & cum calu substrato factique circumstantiis sufficienter comparatis, Commissario taxam invenire haud proclive fore persuasus sum, qua neque emtor neque venditor, vel in minimis se gravatum dicere poterit, sed quae potius ulro citroque cuivis partiam insigni justitia & aequitate, (vi cuius non solum fructuum & qualitatis bonorum, verum etiam pretii hoc tempore vulgaris & communis, nec non raritatis ratio habenda,) omnino facile se commendabit. Plane tum cumprimis ad optimum taxationis impartialis remedium configere, e re & peropportunum, quin ferme necessarium esse videtur, ubi reliens non in nudis terminis retractus versatur, verum potius ubi alienatione ad manus mortuas facta, contractus ipso jure nullus & sine effetu manet, atque sic in eo statu prorsus infecti nulla conventi pretii haberri potest ratio, quando praesertim contra mentem Statuti ab Ecclesiis aliquis Universitatibus sub manu mortua venientibus, ob affluentem plerunque divitiarum copiam alienatio etiam ultra justum pretium fieret, reliutio autem ob id, aut alias accedentes prelio-

56 CAP. III. DE INVALIDIT. CONTRA STATUT. PROHIBIT.

pretiosas meliorationes Ordini Equestris gravior redde-
retur. In quo tamen casu ad jura dominii & proprieta-
tis, ob nullitatem contractus, & praemissis legitima contra
omnem novationem in tempore interposita prote-
statione, a detentore vix aut nunquam valide provocari
posse, antea jam pluribus dictum est. Taxatores porro
impartiales ad pretium augendum vel minuendum, eo
casu non attendant jus steurarum vel alia jura & regalia,
ad Corpus Equestre spectantia, quae in contractum E. V.
proferre, ipsi venditori etiam graviter interdictum est
in privil. de A. 1618. concessso, & novissime A. 1718. con-
firmato. (a) Nec denique promissiones gratuitas ven-
ditoribus factas in taxando respiciant, de quibus statim
seq. qu. III. dicetur. De hac meliorationis & taxationis
materia paucis itidem pro instituto tractat D. Schöppf.
in fin. §. 12. Diff. inaug. A. 1719. Giesae sub praeſ. Dni.
Weberi habitacē, de Retractu Nobilibus Imperii immed. per
privil. Caef. concessso, ubi etiam plures Autoreshuc facientes
recensentur. Sicque disceptationem istam multiformem
& sinuosā quæſtionis, multaque & anxia cura, & circum-
ſpicientia indigentem luculenter fatis explicitam esse pror-
fus confidimus.

X.

QVAEST. III. In materia promissionum gratuitarum adhuc alia mo-
veri solet quaestio: AN PROMISSA GRATIALIA, QVAE
VOCANT, DISCRETIONES, LAVDEMIVM, SVMTVS BIBALES,
ET ID GENVS ALIA A RELVENTE ETIAM PRAESTARI DE-
BEANT?

(a) ibi: und nicht nur allein das Steuer-Recht, noch andere dem Cor-
pori zuständige Rechte und Gerechtigkeiten, wie die Namen ha-
ben, in den Verkaufs-Anschlag keinesweges zu bringen, sondern
solches dem gemeinen Ritter-Wesen per expressum vorzubehal-
ten Sc. v. d. Ritter-Ordn. p. 221.

beant? *i.e.* ita quidem videtur, quia retrahens omnes omnino conditiones, quas emtor promisit, praestare tenetur, & res juxta pactum eodem tradi debet pretio, per L. 75. de contr. emt. Carpz. P. II. C. 32. d. 10. Gail. 2. O. 18. Reinking. qu. 5. seq. d. Tr. hic enim duplex quasi venditio est, ut in posteriori idem intelligatur quod in priori. Sed secundum privilegium retrahetus de dato Vienae d. 21. Julij 1688. & d. 24. Jan. 1718. antea cit. talismodi gratialia, v. g. allerhand Hof-, Land- und Militar-Chargen &c. intuitu retrahentis pro non adjectis reputanda sunt, ut ibi p. 222. expresse provisum: *(a)* conf. dicta supr. in fin. th. V.

XI.

Datur & aliud genus bonorum, quae Nobiles immediati possident, vulgo *Propre-Güter* genannt / quae consistunt in *Feld- und andern Haushaltungs-Stücken* / absque subditis *Collectionati obnoxii*. Quaeritur E. AN STATUTVM PROHIBITIVVM SE ETIAM ADILLA EXTENDAT? *i.e.* licet ratio Legis prohibitivae in his bonis aliquatenus cessare videatur, attamen cum statutum non distinguat, sed alienationes omnium bonorum ad manus mortuas indistincte in verbis: *Dass für ohn leiner*

QUEST.
IV.

H der

- (a) Dann interpretiren, erläutern und erklären vvir, aus ob angezogener Kayserl. Macht, die einbedingende Gratiationen, vvie die Namen haben, oder bekommen mögen, samt denen Tausch-Stücks-Einverffung, ein vor allem diefer Unverbindlichkeit, daß nemlich Sie, oder jedes insonderheit, vveder dem Retrabenten um ein Heller's werten Erfetzung zuzieben, noch das Einstand-oder Aufzessungs-Recht schvverer machen, wveniger solches gar aufzehen und hinterzieben sollen, mögen, noch können, sondern sie sollen alle und jede, da nach dieser Unser Kayserl. Vergünstigung der Einspruch oder Ausiclung interponiret vvird, intuitu retrahentis pro non adjectis reputirt, und gehalten werden,*

der Ritterschafft NB. einig Guth/ ganz oder Stückweise/
kauflich oder sonst begeben solle ic. prohibeat nec
nostrum est distinguere; arg. L. 8. *π. de Public. in
rem act. it. in alio loco ejusd. Statuti Tit. 15. in
ult. §. ubi de alienatione ad manus mortuas prohi-
bita expresse sermo est sequentibus formalibus: Füh-
rohin NB. kein Ritterschaftliches Guth/ Stücke/ oder Ge-
rechtigkeit/ worinn das/ oder die bestehen ic. & sic genera-
liter sineque omni restrictione quaecunque bona contra
statutum alienare prohibita manent, quia, qui dicit o-
mne, nihil excludit. Remanent idcirco & illa sub com-
plexu generalis prohibitionis, praesertim cum non tan-
tum, quemadmodum *andere incorporirte Ritter-Güter*/ in matricula Equestris comprehensa sint, sed etiam mul-
tum contribuant ad conservandum Nobilitatis splendo-
rem, quem summa Augusti clementia maxime fovere
atque alere omni ope annititur. Eadem ex ratione simi-
lis quaestio, quae nonnullis videtur anceps, deciditur, at-
que ad liquidum facile perducitur: AN SCIL. ETIAM IN
ORDINE AD ORDINEM EQVESTREM ALIENATIO IN
MANVS MORTVAS NVNCVARI QVEAT, SI E. G. MO-
NASTERIVM VEL ALIA EIVSMODI VNIVERSITAS EX
PRAEDIO EQVESTRI, QVOCVNQVE TITULO ACQVI-
SITO, PRAESTATIONES STEVRASQVE DEBITAS, CEV
ONERA REI COHAERENTIA IMPOSTERVM QVOVIS
CASV SOLVERE SESE OFFERAT? Ratio decidendi in
negativam juxta communem opinionem inclinabit, pro-
pterera quod unicum Steurarum praejudicium Corpus E-
questre hic forte respiciat, ipsique perinde erit, an prae-
dii alienatio facta sit ad MANVM MORTVAM, vel ad alium
Dominum secularem aut Con-Membrum, dummodo
debitae steurae rite semper Corpori praestentur. Ate-
nim*

QVEST.
V.

nim vero hoc non obstante , mihi saltem affirmativa ,
quod utique appellari queat prohibita alienatio ad Manus
Mortuas , potior esse videtur . Praeterquam enim quod
negantium opinio supponat 1.) commune illud , at fal-
sum , in nullo jure fundatum , ideoque supra multis ra-
tionibus contrariis satis oppugnatum & explosum prin-
cipium , quasi amortizatio concederet immunitatem ab
oneribus pro affirmativa sententia militat 2.) ipsum sta-
tutum prohibitivum , generalibus verbis in favorem No-
bilium conceptum , vi cuius omnis alienatio ad manus
mortuas sine praescitu & consensu Ordinis Equestris , pe-
nitus absque ulla limitatione interdicta est . 3.) non suf-
ficit , rationem legis , ut hic , in tantum cessare , sed causa
finalis adaequata omnino & in totum cesseret oportet , per
L. 6. §. 2. de Jure patron. L. fin. de SCto. Silan. Nam *ut*
maxime in aliquo facto particulari cesseret inspecta particu-
lariter ratio , quae voluntatem summi Imperantis movet ,
non tamen cessat ratio summa universaliter , quae periculis
occurri vult , ceu egregie differit H. Grotius de f. B. & P.
L. I. c. III. §. 3. n. 3. ibique Barbeyrac in not. paulo clari-
lius : quamvis in hoc vel illo casu nullum forte incommo-
dum aut periculum revera deprehendatur , sufficit , quod ut
plurimum & in universum maximum futurum adsit in-
commodum & periculum ; Idemque Grotius d. l. c. IV. §.
4. n. 3. ibi : quae rarius contingunt , communibus tamen
regulis constringenda sunt , quia eti ratio legis in isto spe-
ciali facto specialiter locum non habeat , manet tamen
ratio in sua generalitate , cui specialia subjici fas est ; cum
denique 4.) literis licet reversalibus datis , illae tamen ac
omnes pollicitationes sacramento etiam confirmatae in-
juria temporum annullari , vel ob insignem clericorum
potentiam & favorem , successu temporis per varias ar-
tes technasque scite eludi atque irritae reddi possent , ubi

tunc coram Episcopo vel Papa non sine magno negotio agendum esset, quod Clerus a jurisdictione seculari immunem sese jactet; ut alias innumerabiles difficultates ex alienatione incauta metuendas, quam omnes prudentiae regulae, exceptae forte extremae necessitatis casu, maximopere dissuadent, in praesentiarum silentio praeteream.

XII.

Frustraneae idcirco omnes omnino objectiones sunt, quas nonnulli contra Legem hanc Equestrem aquam & prudentem movere volunt. Obst. scil. uti sibi imaginantur, 1.) statutum Nobilitatis prohibitiuum esse contra libertatem commerciorum, sed &c. si hoc in genere accipiatur, tunc res est indubitati juris, atque unanimis pene DD. sententia, istud vitae genus tantum ad civitates spectare, infraque dignitatem Nobilium aliorumque in insigni loco constitutorum haberri, eo quod illi ex antiquissimis temporibus vel ex vita militari, vel ex praediis suis vivebant, & sicut Patricii per mercaturam dignitatem suam contaminare vulgo creduntur, ita & Nobiles consimili modo quasi tacite suae Nobilitati renunciare videntur, arg. L. 3. C. de commerc. (quod tamen hodie fere in desuetudinem abiit, eo quod Reges & Principes maximos commerciorum directores videamus.) Quum vero magis tale vile vitae genus duntaxat, quod mercionis constat, quam venditio propriarum rerum Nobilibus inhibetur; sic haec tenus libertas commerciorum non plane ademta, sed quodammodo restricta solum dici potest, videlicet de bonis ad extra nos non alienandis, quod, cur ob utilitatem publicam constitui nequeat, non video. Obst. 2.) Rustici & cives in vendendis suis bonis melioris sunt conditionis, quam Nobi-

Nobiles; & hoc non in totum, sed in tantum verum esse, ubi scil. illis alienatio extra civitatem, pagum & territorium facienda non interdicta reperitur, quod tamen plerumque in utilitatem publicam, v.g. Norimbergae alibique passim factum esse experientia loquitur, adeoque per instantiam aliorum similium statutorum argumentum hocce evertitur. Immo cum a quolibet privato testatore talismodi inhibitio fieri queat, ne alienetur res extra familiam, per L. 38. pr. §. 2. de Legat. III. L. 69. §. 3. de Legat. vid. Mantica de conjecturis ult. vol. L. 6. tit. 24. n. 24. Frid. a Sande tr. de prohibit. rer. alien. p. 3. c. 5. n. 5. cur non & multo magis a Legislatore ac toto Corpore Lege publ. illud prohiberi possit? Obst. 3.) Nobiles obaerati ipsi accusant hoc statutum de iniuritate summa, & de hoc in fine hujus theses quoad fatis dicturi sumus. Obst. 4.) Pretia rerum crescunt & decrescent, nec defunt exempla, quibus bona Equestria immobilia tempore pestis, belli, sterilitatis &c. vix pro dimidio veri pretii fructibus exaequati, vendi aut frui illis potuisse compertum habemus, proindeque pro dono fortunae nec possessori male habendum, quando praedium suum pro summo pretio vendere & erogare potest; Sed & praeterquam quod illi casus extraordinarii sint, neque semper occurrant, etiam non obstante statuto prohibitivo bona sua maximo cum compendio alienare, Nobilibus immediatis nunquam non integrum manet, ea tamen lege & restrictione, ut illa non extra districtum Equestrem, verum potius ad alios suae conditionis in Ordine ditiores pro lubitu divendant, siquidem manus mortuae & potentiores opibus abundantes, ut quondam olearii referente Plauto Captiv. 3. 1. 29. in Velabro, (loco urbis Rom. ubi oleum erat venale) quasi de compacto id agunt, ut res supra pretium id quod

H 3

sum-

62 CAP. III. DE INVALIDIT. CONTRA STATUT. PROHIBIT.

summum nunc est in communi & eodem maximo pre-
tio ab omnibus, in aliorum Nobilium, non aequo in
tanto fortunae fastigio positorum, praejudicium ven-
dantur & coemantur, & sic in fraudem statuti reipubl.
Equestris incrementum paulatim sisti atque pessundari
queat. Quo casu sane, cum S. C. Majestas, utilitatem
publicam nulla personarum habita ratione, justissime quae-
rens, per confirmationem statuti optimi & concessio-
nem privilegii retractus, impiis illis machinationibus ob-
viam merito ivit; ita eo minus imperata insuper taxatio
impartialis cuiusdam iniquitatis incusari potest, quo ma-
gis peccat ille, qui sciens & dolose contra expressum
statutum ad manus mortuas aut extraneos bona sua alien-
ando, osorem utilitatis publicae Equestris agere non
erubescit. Nec incommode hoc trahi possunt verba
Grotii, quorum supra th. 7. jam memini, ubi c. l. §. 14.
ita differit: *Vix est, ut (commune pretium) non ali-
quam latitudinem habeat, intra quam plus minusve dari
aut exigi possit, nisi ubi lex certum rebus pretium ist i*s* i*mp**re**s*,*
i. e. in puncto, (cui addo: aut impartialem taxationem
aequitatis & communis utilitatis causa) constituit; qua
lege vel statuto lucrum utique justum & tolerabile, non
nimium & iniquum ita concedente, quid justius, quid-
ve aequius praesertim in nostro casu queat, nescio.
Aequalitatem puta natura jam imperat, quia uterque
contrahens nihil donare, sed aequivalens recipere velle
praesumitur, adeoque non plus exigatur, quam par est,
i. e. quanti revera res constat, ut aequalitas observetur,
& sic per privilegium & statutum hoc jure civili subla-
to, res ad statum naturalem redigatur. *OBJICITVR 5.)*
Et si hoc statutum principaliter contra *Manus Mortuas*,
i. e. Ecclesias, Monasteria & alias ejusmodi pinguioris
fortunae universitates directum, tamen per indirectum
etiam

etiam omnes Status Imperii sensibiliter tanguntur, in quorum praejudicium Imperator vigore Capitulationis nihil potest per privilegium disponere: §. Ipse ordo Equestris id omni jure statuit, Augustus quoque statutum aequissimum ob utilitatem publicam confirmare potuit, conf. d. Ritter-Ordn. p. 82. seq. per privilegium autem ad conservandas Nobilitatis immediae familias jus retractus una cum taxatione impartiali merito concessit, immo vero ne positivum quidem, h. e. ubi revera patrimonium alicujus imminuitur, sed privativum solum, i. e. lucrum nondum quaesitum nec perfectum, sed adhuc acquirendum, hic adest damnum, cuius autem ceu futuri & incerti nulla unquam in jure habetur ratio, add. H. Grotius L. cit. II. c. 17. §. 2. n. 1. & seq. cap. 21. §. 10. Plane etiam Statutum prohibitum neutquam in praejudicium Statuum Imperii Secularium vergere, nec hos a commercio bonorum Equestrium pro nunc excludere, non tantum ipsa Ordinatio Equestris P. 1. Tit. XV. in principio (a) sed etiam privilegium retractus clare innuit p. 204. cit. l. quin immo ubi jus retractus locum habet, ibi emtio venditio nullitate laborare non debet. Obj. 6.) Nihil interest, an Princeps, Comes, vel civitas Imperii bonum Equestre possideat & emat, modo collectae Ordini Nobilium illustrium solvantur, id quod finis statuti principalis est: Quodsi hoc negatur, & ad conservandum Nobilitatis imme-

(a) Statut. d. p. 45. ibi: Dass sirobin keiner - sich mit einem hohen, mittlern und niedern Standes- Genossen, der unter der Ritterschaft Consortio und Gemeinde nicht schon begriffen vvere, käuflichen einlassen &c. er habe dem zuvor das Gut seinen Freunden und andern von der Ritterschaft angebotten, den Vorkauf in gleichmässigen Werth verstattet, der Ritterschaft auch dabe das jus retractus vermög habender Privilegien, per expressum vorbehalten.

64 CAP. III. DE INVALIDIT. CONTRA STATUT. PROHIBIT.

immediatae splendorem provocatur, ille sane apud obae-
ratos Nobiles, dum alii bona sua non divendunt, frustra
quaeritur, & in ordine ad collectandum subditos, Cata-
stro Equestris vere affectos, non attendi potest. ¶ Primo in tota QUAEST. V. omnino multum interesse proba-
vimus; deinde quaestio de collectis Ordini rite præstan-
dis, potius finis statuti secundarius est, primarius vero,
ut Ordo Equestris in contiguitate, vigore & splendore
suo conservetur, neque per extraneos condominos po-
tentiores per denegationem steurarum, aut similes vexas
res publica Equestris labefactetur, infringatur, destruatur,
prout exprefse sonant 2. privilegia a Ferdin. III. de A. 1652.
& Leopoldo 1678. gloriofiss. memor. A. A. concessa &
An. 1718. a CAROLO VI. clementissime confirmata, at-
que reperienda in der Frâncischen R. O. p. 182. --- usque
ad p. 196. Porro non solum obærati, sed & laetiori aequo
ac lautiori vita fruentes Nobiles interdum bona sua di-
vendere solent, forte ad meliorem conditionem repe-
riendam, & simile vel majus quid acquirendum, ut ita-
que splendor memoratus omnino simul attendatur, quia
ditiora inter Nobiles Con- menbra adsunt, qui coémen-
do obæratorum praedia, suae non minus gentis, quam
totius Ordinis splendorem per contiguitatem praedio-
rum augere valent. 7.) Provocatur ad experientiam, an
non illi subditi, qui sub Episcoporum & Monasteriorum
Imperio vivunt, mitius tractentur, atque ita magis capa-
ces sint, ad debitas steuras suas rite semper exsolvendas,
quam illi, qui nonnunquam obæratum Nobilem Domi-
num suum agnoscant, quive saepius haud parum aeris
alieni conflantes, debitores restant, alioqui insuper ni-
miis servitiis aliisque oneribus ultra modum obnoxii?
¶ sunt haec argumenta ab utili, quae contra nostra a ju-
sto depromta nihil efficiunt, praeterea servitia illa, germ.

Frohn

Frohn-Dienste aliaque onera non ubique adeo enormia, immo ut plurimum etiam apud *manus mortuas* adsunt, & praeprimis contra contrariam Religionis sectam profidentes Protestantes Domini Pontificii quovis modo duiores fere exhibere solent, attestante praxi ubique hodierna per tot Religionum &c. gravamina; Quodsi igitur juxta statutum Nobiles praedia sua ad alios suae conditionis ordinisque ditiones alienant, tunc forte non ita male habentur, & sic ratio postmodum cessabit. Sufficit denique statutum, communis Ordinis Equestris consensu & Augusti confirmatione adprobatum, quod certe profecto singulis alienationem ad manus mortuas prohibere vel restringere valet in districtibus illorum *eodem jure*, quo idem alias Imperii status v. g. Austriacum, Electorem Trevirensem, Abbatem Fulensem &c. in territoriis suis (a) constituisse supra audivimus Th. 9. cap. I. Pugnant
I itaque

(a) Non igitur video, qua fronte Pontificii Statuta haecce prohibitiva jure Dominii alti & eminentis, ob salutem publicam, contra promiscuam bonorum immobilium alienationem ad manus mortuas subditis publicata, aut ab integro Corpore, quod neminem nisi Imperatorem agnoscit Superiorem, in sui conservationem condita & Angustissimi Confirmatione roborata, impugnare aut pro injunctis venditare velint, praesertim cum IPSI CANONES res Ecclesiae & sacras per se inalienabiles pronunciant, prot. t. t. IX. *jur. Canon.* in 6. de bon. Eccles. non alien. abunde docet, neque in hunc usque diem alienatio permitta est extra 4. causas necessitatis, utilitatis, incommoditatis, & pietatis, adhibitis suis requisitis solennitatibus, qui tamen causas in praxi vel plane non, vel saltē rarissime, vel denique sine omni utilitate Reipublicae secularis fieri solent, siquidem Ecclesiae seu M. M. semper tantundem immo^majus lucrum ex bonis immobilibus equivalentis loco dandis quaerunt. Pariter in IVRE CIVILI commercio homi-

66 CAP. III. DE INVALIDIT. CONTRA STATUT. PROHIBIT.

itaque pro justitia & aequitate statuti nostri prohibiti regulae generales, quibus illud nititur, nempe salus publica suprema lex esto : item cuius finis bonus est, id ipsum bonum est ; pugnat præterea juxta cum voluntate & statuti

hominum eximuntur aedes Ecclesiae ipsae , jus decimae , vasa consecrata &c. nec non praedia & possessiones rerum immobilium, quae bona temporalia vulgo appellantur per *Auth. de non alien. & Auth. de alien. Emph. C. nulli. de rebus Eccles. non alien.* aliasque textus & rationes notatu dignas a Duarenio de *Sacr. Eccles. ministr. ac benefic.* Lib. VII. cap. 9. cit. add. Bodini *Diss. de alienatione bonorum Eccles.* & inter Pontificios scriptor Gallicus Guilielmus Redoanus, & Rebuffi *Tr. de rebus Eccles. non alienandis.* Immo vero bona Ecclesiastica in primitiva Ecclesia plane non ex immobilibus constitisse, sed potius eorum venditionem introducetam fuisse, sacra pagina nobis fidem facit per *Act. Apostol. cap. 2. §. 45. &c.* neque ulla prohibitio de rebus Eccles. non alienandis usque ad Constantini M. tempora apparebat, praesertim cum ratio prohibendi, quam superstitionis temporum & ambitio Cleri producebat, cessaret. Licetque post tempora Constantini M. acquisitiones praediorum & bonorum immobilium in Ecclesia initium coeperint, nihilominus tamen per diuturnum temporis spatium praeprimis in Romana s. Occidentalii Ecclesia alienatio bonorum Ecclesiasticorum de genere permisorum erat, donec Episcoporum vita dissoluta, ad compescendum luxum & dissipacionem bonorum Ecclesiasticorum, inhibitioni publicae ansam daret, quam Justinianus demum in *Nov. 7.* firmiter stabilivit. Diversum vero primitiva Ecclesiae statum, & in sequentes varios Cleri Rom. a piis & superstitionis Laicis, sub specioso salutis aeternae adipiscendae titulo, adhibitos modos acquirendi amplissima rerum immobilium patrimonia, pluribus ostendunt idem Duarenus *cit. l. cap. 1. Lib. II. & Thomassinus de vet. & nov. Eccles. disciplina Part. III. Lib. I. cap. 4.* M. A. de Dominis de *Republ. Eccles.* Lib. IX. cap. 3. sq. & Joh. Launojus D. Sorbonn. *de cura Eccles. pro missis*

statuti confirmatione Cæsarea, ipsorum Nobilium unanimis conventio, quod E. semel placuit, amplius displicere non debet, nam quod antea & ab initio erat voluntatis, nunc & postea fit necessitatis, per L. sicut. 5. C. de O. & A.

I 2

Proinde

seris & pauperibus, aliique, add. Pufendorff intrad. ad Histor. cap. 12. de Monarch. Eccles. sedis Rom. & de Germaniae Clero Lehmannus in Chron. Spir. Lib. II. c. 35. item Coccejus in Prud. Jur. publ. ibique Dn. Confil. Langgut. in animadvers. cap. 18. Scđ. I. Praeterea notanda verba Petrus de Ferrariis, circa initium sec. XV. vivens, in Praxi Papiensi Tit. 51. n. 3. reliquit, hisce: Clerici & religiosi pro se fecerunt legem, quod non possint vendere nec alienare, nec dividere eorum bona, sicutque in brevi necesse est, ut omnia bona Laicorum subjiciantur Dominio Clericorum; nisi bonus Imperator provideat, qui Donationem Constantini illam revocet & Legem faciat, ut omnium Clericorum Status ad Statum mendicantium Fratrum penitus reducatur, & Papa cum Cardinalibus similiter ad vitam Christi & Apostolorum ejus deveniat. &c. Caeterum jejunas illas rationes prohibendi alienationem bonorum Ecclesiæ immobilium ad Laicos, quod scil. patrimonium & possessiones ipsius DEI forent, seu principium juxta cum distinctione in res sacras, sanctas & religiosas, ad decipiendam plebem, quandam utiliter de promtum ex Theologia Gentilium, misellis suis diis bona istiusmodi temporalia privative adscribentium, id inquam principium satis explosum cordatores Pontificii aequa ac Protestantes diu jam dedidicerunt, & adhuc merito derident, eo quod Clerici sibi ipsi non satis constantes, modo DEO, modo Papae, modo Ecclesiæ dominium attribuunt, ut Schilterus in Inst. jur. Can. Tit. VI. Lib. II. de SS. Eccles. & bon. Eccles. §. I. in not. b) demonstrat, ideoque rectius inter res universitatis alii referunt, quandoquidem ratione veri, utpote Domini Coeli & terrae, nihil proprii habemus, & precarii duntataxat possessores sumus, atque ita, cum res sacrae (in N. Testam. non dantur, quia cultus

verus

Proinde posito etiam, licet non concessso, statuto adhuc quandam inesse iniquitatem, attamen & hic quoque verum manet illud Taciti, Scil. : *omne magnum exemplum aliquid iniqui habet, quod tamen compensatur utilitate publica.*

XIII.

Quaeritur porro, ANNON IN HVIVSCEMODI RELVITIO-
NIS CASIBVS PARS RETRAHENS, AD DAMNV M RECVPERAN-
DVM, OMNEQVE PERICVLOSISSIMVM AC PESSIMI EXEMPLI
PRAEVDCICVM AB VNIVERSO CORPORE EQUESTRI AVERTEN-
DVM,

verus non in his rebus consecratis, sed in spiritu & mente pura consistit, omnes res sacrae & religiosae ob finem quidem, cui destinatae sunt hoc nomine insigniri possunt, in se tamen, re vera res profanae manent, universitatis scil. non singulorum, haec tenusque admittimus rerum divini & humani juris distinctionem, nam respectu D E I, uti antea dictum, non magis sunt in dominio res divini quam humani juris, sicut prolixius Dn. Böhmer aliquie Juris Canon. Interpretes id probatum dedere. Sicuti E. uti dictum, prohibitio alienationis rerum Ecclesiasticarum ex sola Lege Civili ortum traxit, perque Canones postea latius incrementum cepit, nullo modo autem qualitas quaedam essentialis, v. g. quod sint res spirituales, patrimonium D E I vel Christi, exemptionem a Commercio seculari efficit, &c. dum ejusmodi rationes falsas fraus & calliditas Cleri posthac excogitaverat, atque ita Ecclesiis minus convenienter juxta communem derivationem a vulgo manus mortuae attributae quandam fuerant; Ita ex hisce omnibus facile consequitur, optimo jure talionis & quasi retorsionis Principes & Dominos seculares edicta ejusmodi prohibitiva contra alienationem bonorum immobilium ad Ecclesiias f. manus mortuas, subditis suis promulgare aut inter se statuere potuisse, quod enim unijustum & licitum, alteri injustum & illicitum non esse debet.

DVM, LEGITIMAM PETENDI FACULTATEM HABEAT, VT A DIRECTORIO VNA VEL ALTERA COMMVNIS COLLECTA ET CONTRIBVTIO, IN QVANTVM IVS FASQUE PERMITTVNT, INDICATVR? R. Affirm. iustificat enim talismodi collectarum im-
positionem expressus Imperatoris Augustissimi con-
fensus in privil. de A. 1652. concessio & 1718. confirmato,
vid. d. Ritter-Ordn. p. 179. & 189. seq. (a) Finis quippe
collectarum est conservatio Status Equestris, qui E. vult
vel concedit finem, concessisse simul praesumitur etiam
media ad illum ducentia, omniq[ue] prorsus dubitatione
caret, exercitium juris retractus praecipuum esse medium
conservandi Corporis Equestris, ideoque ad sublevan-
dos subditos collectationi obnoxios ab Augustissimo
concessum. Pari modo quaestioni adhuc subiacet, QVAN-
DO EMTOR TALIS PRAEDII CORPORI EQVESTRI AEQVIVA-
LENS PRAEDIVM, CVM SVBDITIS IVRI COLLECTANDI IAM OB-
NOXIVM, RESTITVERE PARATVS EST, AN CONSISTERE QVEAT
CONTRACTVS AD MANVS MORTVAS? R. Neg. Reclamat
enim generaliter statutum plus vice simplici memoratum,
omnes videlicet alienationes ad *manus mortuas* indi-
stincte prohibens, ipsumque alienationis negotium ceu
ipso iure nullum atque inefficax declarans, uti supra tb.

QVAEST.
VII.

I 3

I.C.

- (a) ibi p. 192. seqq. Hierinnen so ist unser ernstlich- und zuverlässiger
Befehl, daß alle und jede Mit-Glieder, Inhaber der adelichen
Güter, derselben Beamten und Unterthanen, ohne Unterschied der-
rer Güter, davon die Anlag zu entrichten, — sich zu denen, zu
Nutzen, Conservation und Aufnehmen der Ritterschafft ausge-
schriebenen Steuern und Anlagen, gutvwillig bequemen, sub poe-
na privil. adjecta — also und dergestalt, daß auf erscheinende
Wiedersetzlichkeit oder Saumsal, Directores, Haupt-Leuthe,
Rathe und Ausschuß vollkommenen Macht und Gewalt haben,
auch pflichtig seyn sollen, die Ungehorsame und Saumseelige mit
würcklicher Execution oder sonst verantwortlichen geziemenden
Mitteln zur schuldigen Abstattung der Gebühr anzuhalten.

70 CAP. III. DE INVALIDIT. CONTRA STATUT. PROHIBIT.

i. c. b. videre est. Deinde dato licet aequivalente, quod vero non rei alienatae, sed pretio duntaxat succederet, nihilominus tamen praedio Equestris contra expressum statuti tenorem actualiter acquisito & relicto, alienatio ad manus mortuas integra maneret, atque ita statuti prohibiti vis & efficacia eo ipso frustranea foret, aut saltem per indirectum inanis redderetur, cum idem per idem concederetur. Postea circa ipsum in meritis praesertim generalibus oblatum aequivalens, ratione qualitatis, taxationis, & alias innumera oriri possunt incommoda nonnisi difficulter superanda, si v. g. bona aequivalentis loco danda non sint eiusdem conditionis, & a reluente nimis remota, aut quae ex singulis etiam partibus variis Condominis Nobilibus gaudentibus mixta, non aliter concedantur, nisi in qualitate feudorum, cum e contrario praedium injuste alienatum integrum, non ex diversis hinc inde dissitis partibus consistens, & plenum allodium nulli quoad proprietatem & dominium directum obnoxium, neque diversae religionis sit, & s. p. ut sic eatenus nulla fere aequiparatio locum invenire queat. Immo etiam ponatur casus, ubi Ordini Equestris ex hac permutatione nullum quoad utile & Interesse Oeconomicum accedit detrimentum, sed ubi potius ex simili surrogato tantundem aut plus etiam in effectu & materialiter recuperat, quod statutum pro conservando Corpore Equestris ex quanto collectabili intendit: Tutius tamen statuti prohibiti executioni, tutius inquam, insistendum esse, & justi & prudentiae regulis conveniens videtur, ut quovis modo omnis consequentia evitetur, aut ullum statuti, per indirectum etiam enervati, praejudicium in contrarium unquam proferendi, quantum fieri potest, occasio praefundatur. Id enim plerumque adversa pars aequivalens offerendo agit, quo re in longum extracta, reluentem expe-

expectatione tantummodo suspensum teneat, interea autem temporis in possessione rei illico modo acquisitae maneat, donec ad extreum lis amicabili compositione concludatur, & Ordo Equestris diuturna lite delassatus, nec non ob grande aes alienum relutionis gratia conflatum, viribus exhaustus, ad minimum obliqua via, in praecidium statuti prohibitivi, & juris sui optimi maximi, cedere cogatur, quo facto ubi semel a proposito Retractu, re non amplius integra, recessum fuisse compertum fuerit, in futurum Nobilium quendam vix unquam, ab exercitio juris retractus quippe deterritum, mutuum amplius contracturum, vel onus relutionis suscepturum esse, in maximum reipublicae Equestris detrimentum, haud ex vano metuendum videtur. Sufficiat E. nobis, detentionem bonorum immobilia Equestrium a manu mortua per se semper esse de genere prohibitorum, neque ideo facile, extra necessitatis casum, contra expressam statuti sententiam ac valorem, in aequivalens recipiendum consentiri debere, eo quod alia similis res tantum in manibus mortuis relinquenda foret, maxime enim refert, quid fiat ex aequipollentibus, quando idem effectus non insurgit.

XIV.

Vtterius in quaestione venit, QVOMODO PROHIBITA OPPIGNORATIO AD MANVS MORTVAS SIT INTELLIGENDA? Evidem primo intuitu non parum videtur, in illa ordinatione, juxta cum alienatione etiam oppignorationem bonorum Equestrium ad Ecclesias, Monasteria ac alia ejus generis corpora, ceu ad manus mortuas, penitus interdictam esse: Sicuti autem in quavis explicatione legis, praeter verba, potissimum mens & ratio adaequata inspicienda sit: Ita etiam factum, ut sub
ORTO

QVÆST.
VIII.

orto desuper dubio, in Conventu a VI. Nobilit. immed. Franc. Ordinibus A. 1721. Norimbergae instituto, per Re-cessum, eò & ea statuti sententia esse declaratum fuerit: Non in genere & in totum omnes oppignorations in casu necessitatis ad manus mortuas prohibitas intelligi debere, sed tantum iis mutuis & bonorum hypothecis, pro conservando statu Equestri, obviam esse itum, quae temporis tractu omnimodam & totalem, ut ita loquar, alienationem, praediorumque Corpori Equestri insertorum distractionem post se traherent, cum oppignoratio plerumque esset via ad alienationem, addita ulteriori explicatione, ut creditoribus huic declarationi non acquiescentibus nulla interposita mora Caesarea Majestas pro interpretatione avthentica, hujus ex mente compaciscen-tium eo directi passus, humillime imploraretur; Verum nulla interpretatione avthentica opus esse, clara mens & verba ipsius statuti fere sufficienter, ostendunt, quum omnes illi tituli de totali alienatione aut translatione per indirectum, non possint non intelligi. Sicuti enim non prohibitum ex praediis immobilibus Manui Mortuae fieri posse legata, fundationes aliasve ad pias causas donatio-nes, modo hoc casu praedium non in natura, sed aesti-matio ejus tantum praefestetur; ita nec aliud dici potest de contractibus Mutui necessarii sub hypotheca bonorum Equestrium. Siquidem similiter etiam e. g. Norimber-gae saepe numero accidit, ut civis inibi sub hypotheca domus & bonorum suorum mutuum ab extraneis contrahat, licet hi notorie talia bona immobilia acquirere in dicta urbe, nisi per pacta & conventiones speciales cum Illustri Magistratu loci initas, nequeat, sed potius, si in omnem etiam eventum bonorum possessionem ex secun-do decreto adipiscantur, alii ejusdem loci vivi rursus ven-dere obligati sint. In Patria vero omnes venditiones, do-nationes

nationes & aliae alienationum species bonorum immobilium ad forenses & extraneos, in homagio a civibus recipi solito prorsus sunt prohibitae (*a*) quod etiam ad opignorations merito extenditur, ut absque praescitu & expresso Magistratus Nobilissimi Consensu nulla in forenses clam facta valeat oppignoratio, nam prohibitione alienationis simpliciter facta, in his, quae favorabilia sunt, etiam hypotheca vel pignoris nexus penitus prohibetur.

L. fin. C. de rebus alien. vel non alien. Klok. Tom. 2. *Consil.* 52. n. 36. Et hoc jure multisque ab Imperatoribus & Regibus Rom. gratiosissime concessis privilegiis, liberae Imper. Civitati Suevofurteni, adeo saluberrime provisum esse, ut in iis tanquam lapidibus angularibus & immobilibus fulcris, inter alia basi reipublicae conquiescat, egregie docet *Excell. Dominus D. Tauber. Consiliarius Patriae senior, in doctissima sua disputatione inaugurali de Jure statutario. cap. 5. §. 51. & 52.* Extant etiam praecipua, quibus hoc jus in Aula Imper. masculine defensum in contradictorio confirmatum est.

XV.

Restat adhuc dicendum, QVID DE CONTRARIIS QVAEST.
HIVVS MODI ALIENATIONIS AD MANVS MORTVAS IX.
SENTIENDVM SIT? ubi ex iis primum locum excipit punctus DISPENSATIONIS CAESAREAE. In legibus civilibus enim dispensare est ejus, qui summam habet potestatem, & minorum etiam magistratum, quatenus feredarum & abrogandarum legum potestatem acceperunt, uti H. Grotius in *Lib. sing. de aequitate, indulgentia, & facilitate perbene dissenserit, cap. II. §. 10. & 13. seqq.* supra vero th. 1. & seq. ult. h. c. apposite dicitur, S. Caesaream Majest.

(a) Statut. Svinfort. §. 7. ibi: Daß ihr eure Güter, so viel ihr deren allbier hettet, niemand anders, dann einem andern biesigen Bürger zu kaufen geben vvollet &c.

Majestatem statutum confirmando & privilegia concedendo, sicque omnia quasi sua fecisse, ut proinde merito & dispensandi, h. c. lege solvendi potestas ipsi adscriptabatur. Praejudicium hujus cum annexo Concluso Caesar. *in causa Lanthel Freyherr von Traßberg / de A. 1724.* Membr. I. & in sequ. alio concluso in eadem causa publicato d. 25. Septembr. 1725. Membr. II. ubi simul per impositam configurationem status activorum & passivorum optime ac pensiculata indigitatur, quomodo cognitio causae ad obtinendam dispensationem necessaria institui debeat. vid. sub No. IX. Append. II. Enimvero, quum nunquam, ne autoritas LL. vilescat, nisi ob utilitatem publicam vel aliam gravissimam causam dispensandum esse prudentia legislatoria suadeat; Ita quantumvis alias Augustissimus ob periculum in mora in salutem publicam ac ubi necessitas lege careat, ex plenitudine potestatis Caesareae agendi semper facultatem habeat: Attamen ab ipso hic quoque non adeo facile quidem (quod innata supremo Judici justitia & prudentia per se non patitur) verum potius ex rationibus urgentissimis, v. g. ubi venditor aere alieno obrutus, aequum emtorem plane invenire nequeat, & ob extremam necessitatem, causa sufficientissime desuper cognita, exhibitis etiam clausulis salvatoriis de non praejudicando &c. quin, inquam, ita in casu alienationis ad Manus Mortuas contra statutum demum dispensatio adhuc fieri possit, non est dubium. Verum enimvero quum pro variatione circumstantiarum propria aequi emtoris conditio difficulter saepe definiri, atque praetensus aequi emtoris defectus vario abusui ansam facile dare queat; Ideo tutius ac consultius fore arbitror, ut querela deficientis aequi emtoris, ad obtinendam dispensationem vel plane non, vel sine extremo necessitatis casu aegerrime attendatur, sed potius in dicto casu necessitatis & urgente aere alieno, atque deficientis aequi

aequi emtoris ad constituta in jure remedia TAXATIONIS,
 SVB HASTATIONIS & LICITATIONIS recursus fiat, sic
 que illis perniciosum alienationis ad m. m. extremum a-
 vertatur, de quibus insigne praejudicium, ex Concluſo
Caesar. in causa derer Gebrüder Freyherren von Praßberg
 publicato, in fin. Append. II. sub No. X. adjunctum o-
 mmino legi meretur. Alterum in contrariis locum tenet
 PERMUTATIO, mediante qua manui mortuae praedium
 Equeſtre in ſe transferre oppido integrum manet, dum-
 modo aliud bonum immobile in eadem quantitate & qua-
 litate, praeprimis quod Collectis Equeſtribus eſt affectum,
 vicifim in membrum Nobilitatis Imperialis transfertur
 conf. Ritter-Ordn. P. I. Tit. 15. p. 44. seq. ibi: Ausser halb/
 da es zu mehrern ſeinen Nutzen / gegen andern alegenen ade-
 lichen Gütern / NB. Tauschweſt geschehe ic. Hoc non ob-
 ſtante nihilominus in ejusmodi caſu caute procedendum
 erit, & probe pro ratione circumſtantiarum penſitan-
 dum, an regulae prudentiae aliaeque maximi momenti
 rationes permutationem non diſſuadeant, quod ſupra latius
 deductum fuit in quaest. praeced. VII. Ulterius in-
 ter CONTRARIA alienationis ad manus mortuas refe-
 rendum, neque de genere prohibitorum dici potest, quando
 Nobilis immediatus BONVM SVVM ALLODIALE
 Principi Ecclesiastico, vel domi Stiff IN FEVDVM VELIT
 OFFERRE, licet in caſu aperturae vel consolidationis bo-
 num illud oblatum in manus mortuas per venturum ſit:
 Attamen offerens, hic ſemper expreſſe reſervet, neceſſe
 eſt, non ſolum collectas huic Cantoni, ſub quo bonum
 offerendum ſitum eſt, ſed etiam ut illud extincta familia
 offerentis, alii Commembro ſeu Consorti Equeſtri rurſus
 in feudum detur, d. Ritter-Ordn. P. I. Tit. 15. p. 48. seq.
 Alias manet factum ſua natura vitiosum & iſtanabile,
 i.) quia tendit contra ius publicum, Cæſari & Imperio
 in bona & personas Ordinis Equeſtris immediate com-

petens , cuius vim nanciscitur Statutum Equestre , per
 privilegia ob salutem publ. uti statim dicetur, concessa,
 ab Augusto confirmatum , cui privatorum pactis nil de-
 rogarri potest , L. 38. *n. de pact.* quo significatu haec vox
 occurrit in casu L. 20. *pr. ff. de Rel.* & L. 15. *n. ad L. Falc.*
 Franzk. *Com. ad T. n. de J. & f. n. 92.* Huic E. juri & util-
 itati Imperii quocunque pactum derogare tentat , ipso
 jure nullum , & potius delictum poenaque privilegiis in-
 ferta merito dignum est : 2.) vitiosum esset illud pactum ,
 quia nullus contractus , nulla conventio inter eos videri
 possunt subsecuta , qui contrahunt lege contrahere pro-
 hibente , per L. 7. *C de LL. 3.)* insanabile , ob regulam
 Caton. L. 1. *ff. de Reg. Cat.* & a Paulo in L. 29. *n. de Reg.*
jur. generaliter extensa: quod ab initio vitiosum est , tra-
 ctu temporis non potest convalescere , add. L. 27. *ff. de O.*
& A. Quum igitur in re obscura melius est favere repe-
 titioni , quam adventitio lucro L. 41. *§. 1. ff. de R. f.* &
 jura magis profunt iis , qui sua tueri , quam qui acquirere
 volunt , L. 7. 8. *ff. de J. & F. Ignor.* multo minus benefi-
 cia s. lucra , quae contra legis vel statuti praecepta turpia
 fiunt ex hujuscemodi contractu imperfecto , apud alter-
 rum , quisquis sit , contrahentem dolose aut ex ignorantia
 vincibili , cum nemo debeat ignarus esse conditionis ejus
 cum quo contrahat , remanere jura sinent . Prodesse
 enim sibi tunc saltem unusquisque non prohibetur , dum
 alteri non nocet , aut tertio jus quæsitum non auferat , L.
 1. *§. II. ff. de aqu. & aqu. pluv.* & quoad per LL. fieri
 potest . Neque Principis concurrentia hic tertio jus au-
 ferat , siquidem ille , sive fit Ecclesiasticus , sive secularis ,
 cui Nobilis immediatus bonum allodiale in feudum ve-
 lit offerre , neque in ipsum Ordinem Equestrem imme-
 diate ab Imperatore & Imperio dependente , neque in
 membrum ejus offerens , imperium quoddam exercere
 valeat , cum inter omnes constet , Ordines Imperii Eque-
 stres

stres (ne dicam status,) faltem inter membra Imperii immediata esse referendos, & hactenus, quoad eorum privilegia & jura ratione communis Imperatoris & Imperii protectionis, in Recessibus Imperii, Capitulationibus Caesar. & Instrum. Pac. Westphal. aliis superioribus Imperii Statibus æquales habendos; consequenter nulla hic stringere potest ratio, cur Principi Ecclesiastico, si in oblatione feudi juxta alleg. Ordin. Equestr. P. I. Tit. 15. p. 48. pactum reservatorium intuitu collectarum & dationis in feudum in casu aperturae etiam admittat, singularis gratia debeatur, eo quod ipsius arbitrio hic plane nihil sit relictum, neque pro beneficio singulari habendum, quod illo casu se LL. alligatum professus fuerit & s. p. Etenim antecedentia satis jam probant, hujusmodi Principem, caeteris paribus, non esse melioris conditionis, quam alium privatum Contrahentem, & sese accommodare debere statutis ab Imperatore latis & confirmatis, nec inde se gravatum putare posse, quia Nobilitas Immediata ejusmodi Principi neutquam subjecta, rebus vel bonis suis allodialibus legem dicere potest, quam vult, per vulg. ut plura iam silentio præteream. At tale hic adesse factum vel pactum ipso jure nullum, quod expressa conditio ne illa in feudi oblatione caret, ex modo & antecedentibus ad naufragium usque dictis abunde liquet. (a) Denique contrariis accenseri potest LAPSUS ET PRAESCRIPATIO TEM-

K 3 PORIS

(a) ibi: Gleichbergestalt sollen, zu Vorkommung alles beschwürlichen litigirens, die Mit-Gliedere, bey gleicher Strafe der Privilegien und deren Renovation gehalten seyn, bey etwa veranlaßten Lebens-Auftragung ihres Eigenthums dem Ritter-Ort, vorunter das feudum offerendum gelegen, die fortwählig-unstrittige Steuer in casu aperturae nicht allein, sondern auch dieses expresse zu bedingen, daß es nach Abgang ihrer Familie wieder an ein und den andern Ritter-Genossen, und also sub perpetuo onere der darauf haftenden Ritterschaftlichen Collection, verliehen vverden mag.

PORIS LONGISSIMI, si quando intra hoc spatium alienatio facta non impugnata fuerit ; Etenim alienatio ad manus mortuas vi statuti ipso jure nulla, omnis autem actio ex capite nullitatis longissimi temporis praescriptioni obnoxia est, porro bona immobilia Equestria extra commercium manus mortuæ sunt , cuiusmodi res , sicuti & minorum, quorum jure Ordo Equestris tanquam collegium & singulare corpus utique gaudet , nonnisi intra longissimum tempus 30. annorum regulariter praescribi posunt, addesis commentatores *ad Tit. II. de usurpation & usucaption.* Dixi regulariter. Nam an hoc casu proposito praescriptio locum invenire queat, non abs re dubito. Juris publici enim Germ. expediti est, Imperatorem & Imperium in obnoxia sibi & quasi Corpori toti innexa membra imperii, eorumque immediate Imperio subjecta bona , ratione jurisdictionis immediatae haec tenus competentis , jus quae situm adeo impetrasse, ut illud per Factum alterius aequre minus ac Statibus singulis adimi possit, per tradita L. B. de Lyncker. *Dissert. de Immediatae Civ. Imp. §. 22. conf. Acten-mäßige Vorstellung in causa Schwarzenburg contra Sachsen-Weimar.* pag. 27. Alias etiam in personas & bona Ordinis Equestris Imperio immediate obnoxii radicata suprema jurisdictione Caesarea, ut & Facultas exigendi subsidia charitativa in casu necessitatis publicae immane quantum labefactaretur, & in effectu, si non plane Caesaris Imperique servitiis publicis, ut & matriculæ Ordinis Equestris detraheretur, tamen eorum res in evidensissimum saltem periculum , praejudicium & detrimentum praesentissimum, sicuti per subjectionem, ita & per alienationem incautam bonorum Equestrium, contra Statutum publ. Augusti autoritate confirmatum, admissam detrudeatur, ut itaque haec tenus omnis alienatio privata, ob publicam in tot privilegiis statutisque per LL. Imperii publici confirmatis prohibitionem, adeoque a prima origine inhae-

haerens vitium Nullitatis & incompetentiae nullo modo nec tempore convalescere queat, praesertim cum praescriptio ceu inventum juris civilis contra Caesarem & Imperium perperam allegetur, ut pereruditae demonstrat Dn. Consiliar. Langgut. *in saepe cit. animadvers. ad Coccej. Prud. Jur. publ. cap. V. sect. 3. de Exempt.* Conferri etiam hic merentur, quae Dn. de Ludewig. *in Diff. de Civ. disper. nexus cum S. R. Imp. cap. 6. §. 27. seqq.* contra tegumentum prescriptionis late & solide exponit.

XVI.

